NAZ.
ale III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
F
58
NAPOLI

XLVII
F F
23

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. HIERONYMI LAGOMARSINII S. J.

LITTERARUM

AD

JOANNEM VINCENTIUM LUCENSEM

EXEMPLUM

Quibus judicium fertur de aliquot Locis libelli Romæ menſe Septembris Anno 1753. vulgati hoc titulo : Fr. Vincentii Mariæ Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Prædicatorum ad Carolum Nocetium Soc. Jeſu Theologum &c. Epiſtolæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

TRIDENTI, MDCCLIV.

Superiorum Permiſſu.

2.49.A.

PISO FAMFICEJUS
VERONENSIS
LECTORI S.

EXemplum hoc litterarum ad Joannem Vincentium Lucenſem, veterem amicum meum, & R. P. Hieronymi Lagomarſinii, amici item mei, amiciſſimum, in manus meas neſcio quo caſu venit. Legi, probavi, & omnibus, qui lege-

rent, probandum cenſui. Itaque edendum curavi; ne non tibi etiam, Lector humaniſſime, probaretur. Vale.

HIE-

5

HIERONYMUS
LAGOMARSINIUS
JOANNI
VINCENTIO
SUO S. D.

FR. Vincentii Mariæ Dinellii, Cathedratici Caſanatenſis, Ord. Præd. civis & neceſſarii, quemadmodum ais, tui, epiſtolam ad Carolum Nocetium, Soc. Jeſu Theologum, Romæ nuper apud Jo. Laurentii Barbiellinii hæredes editam, & ad vos etiam perlatam, tibique, ut ſignificas, valde probatam, legi. Hoc uno, quod primum ſcire ex me volebas, velim te eſſe contentum, neque præterea judicium de ſumma re cauſaque meum ſententiamque exſpectare. Tantum habeto, ita me multum Nocetii doctrinæ, fidei, diligentiæque, mihi, itemque omnibus, qui hominem norunt, perſpectiſſimis, tribuere, ut de recenti hac ipſius cum Dinellio controverſia nihil aliud judicaturus ſim, quam quod ab eo judicatum eſſe intellexero. Neque vero diutius hujus judicii exſpectatione ducemur. Nam & Dinellii epiſtola perlata ad ipſum eſt, &, quamquam plerique vehementer illi auctores eſſent,

ut minime dignam reſponſione judicaret, tamen voluit hunc reſcribendi honorem adverſario ſuo habere, ne omnino a ſe contemtus videretur; & paucis diebus, an horis? reſponſionis neſcio quid ludibundus elucubravit, Romamque miſit, operi ſuo, quod Dinellianæ epiſtolæ occaſionem præbuit, quodque in Urbe iterum, poſt Lucenſem veſtram editionem, Generoſi Salomonii typis excuditur, ſive, ut prologum galeatum quemdam, præfigendum, ſive, ut quamdam mantiſſam, addendum. Id cum videris (poteris autem, niſi typographus ceſſarit, ante Kalendas Novembres videre) tum, quale judicium meum de Dinellii hac epiſtola ſit, facile intelliges. Meum enim ab ipſius Nocetii judicio non diſcrepabit.

Quod vero me rogas, ut ſi forte de ipſa epiſtola nolim, at ſaltem de tuis in eam animadverſionibus, quas ad me perſcripſiſti, judicare non nolim; in eo etiam atque etiam videndum eſt mihi, quid me facere conveniat; ne forte, tibi quum gratificari velim, Nocetium, amiciſſimum, & ſodalem, & contubernalem meum, offendam. Vis enim, ut ſcribis, quoniam pauca admodum Dinellianæ epiſtolæ exempla iſtuc allata ſunt, non paucos autem ejus videndæ, non modo Lucæ, ſed tota paſſim Etruria, cupiditate teneri credibile eſt (nam, qui Nocetii opus legerant, nec quidquam illi reſponderi poſſe ſibi perſuaſerant, & reſponſum eſſe mirantur, & quod reſponſi genus datum ſit, avent ſcire), vis, inquam, ut iſtic, paullo, ſicuti neceſſe fuerit, emendatior edatur, curare, in quo ais, &

ami-

amico te rem gratiſſimam, & tibi non pœnitendum quæſtum facturum, ſperare: cum præſertim Satyras etiam illas latinas duas, a Dinellio olim in Probabiliſtas conſcriptas atque editas (quas ipſe in epiſtolæ ſuæ pag. 12. commemorat, ſatiſque de iis ſibi placere ſignificat), iterum edere, cumque eadem epiſtola conjungere decreris; quo hominis facultas in utroque ſcribendi genere, & hoc ſoluto, & illo adſtricto, perſpici poſſit.

Ego vero te non modo non prohibeo, quominus amicum tuum, quamquam amici mei adverſarium, juves, illiuſque exiſtimationi, ac nominis celebritati, quantum in te eſt, conſulas, verum etiam animum iſtum tuum, officii ſtudiique pleniſſimum, & in amicitia meditantem ſemper aliquid, atque agentem, quo amicitiores, quos amas, tibi eſſe debeant, vehementer laudo; atque ejuſmodi voluntatem tuam, animique inductionem atque propoſitum ad meas etiam rationes, quem ſemper amaſti, arbitror pertinere. Editionem vero iſtam, quæſtuoſam tibi equidem optare poſſum, fore autem ſperare vix poſſum. Nam ejus generis libri (quod, in aliis non ſemel accidere animadverti, in ipſiſque illis Satyris expertum eſſe earum auctorem ſcio), niſi, quod factum eſſe in Nocetii opere Dinellius pag. 24. ſuæ epiſtolæ dicit, *donatum amicis & principibus viris circumferantur*, fere in bibliopolarum tabernis jacent & obſoleſcunt, nec niſi raros emtores reperiunt. Sed fortaſſe reliquis feliciora Dinellii, fortunati hominis, ſcripta futura ſunt; & tu certe edendis iis

amicitiam, quæ tibi cum eo intercedit, teſtatam poſtentati relinques.

Verum, adjuvari a me hominem alienum, & contra domeſticum ac familiarem adjuvari, id tu putas meæ dignitatis, atque hominum exiſtimationis, denique meæ fidei eſſe? Poſſum ego ſine maximo ſcelere, ſi non tela amici mei inimico ſubminiſtrare, at ea polire tamen & tamquam acuere, quo certius atque expeditius vulnus infligant? Quid homines, quid, præter cæteros, ipſe Nocetius diceret, ſi epiſtolam, contra ſe editam, a me, a me, inquam, ſui pæne a pueritia amiciſſimo, ante emendatam, quam iterum ederetur, eſſe reſciret? Non me infidum, non perfidum, non perfidioſum, non proditorem jure appellaret? Auderem ego, poſt tantum facinus in hominis conſpectum venire, colloqui cum eo, aut verbum omnino facere? Poſſem ego vultum illum, amicis quidem blandum atque amabilem, perfidis autem trucem ac terribilem, atque illa ſupercilia ſuſtinere? Non eſt, mihi crede, aut pudoris tui id a me petere, aut meæ dignitatis tibi petenti concedere.

Sed tamen, cum ejuſdem Nocetii miram animi æquitatem facilitatemque conſidero, quamque parum adverſarii hujus ſui tela reformidet (quem ridentem, ſic, ut pæne corrueret, egomet vidi, illa cum legeret in Dinellii epiſtolæ pagina 12. *Moleſtus tibi non ero, ullis ſalibus, conviciis, & injuriis, quas, ſi Concina tibi reſponderet, vehementer reformidares*; & p. 23. *Animadvertito nunc, quo te argumento conficiam*: & p. 28. *Quid eſt? num conturbate?*

te? *Ne dubites:* & pag. 53. *Intellextin?* & pag. 60. *Nunc paucis te volo vindicem veritatis:* & p. 68. *Experire modo, utrum noſtrum ſit validius argumentum;* & alibi alia multa), hæc, inquam, cum conſidero, rurſus immuto animum atque ſententiam meam; omninoque mihi videor ita tibi morem gerere ac gratificari poſſe, ut nihil, illi aut nociturum aut vero diſpliciturum, committam; qui ſe intelliget nitidioribus quidem mea fortaſſe aliqua opera telis, ſed, adverſarii ſui infirmitate, nihilo validioribus peti. Itaque magna ſane cura ac moleſtia liberatus, qui me aut tibi, aut illi ſatisfacere non poſſe arbitrabar, bona cum Nocetii, ut mihi perſuadeo, venia, tua vero etiam magna, ut puto, cum gratia, ad animadverſiones in Dinellii epiſtolam tuas conſiderandas atque expendendas accedo. quarum quæ mihi probabuntur, in iis aſſentiri me tibi dicam; quas improbabo, in iis patiere me à te libere diſſentire. Et, quoniam primum verba, quæ tibi diſplicent, tum ſententias poſuiſti, diviſionem hanc ipſam tuam ſequar, ac primo de verbis, deinde de ſententiis, a te reprehenſis, mihi quid videatur, ita, ut ſentio, dicam.

Inſcriptione ipſa libelli offendi te video, qui *Cathedratici* vocabulum, cum paullo glorioſius, tum vero inſolens, removeri ex ea velis, & in minus ambitioſum, magiſque Italis Theologis, latine ſcribentibus, uſitatum commutari.

Ego vero neque ambitionem iſtam, quam dicis, aut ullam jactantiam in eo ſatis agnoſco;

ſco; neque ſane video, cur Hiſpanis Theologis liceat *Cathedraticos* ſe *Complutenſes*, aut *Salmanticenſes* ſine ulla inſolentiæ aut barbariei reprehenſione dicere, Italo Theologo *Cathedraticum* ſe *Caſanatenſem* appellare non liceat. Quid? num, quo magis latine loqueretur, malles eum *Cathedrarium*, aut *Cathedralicium Caſanatenſem* inepte ac ridicule a ſe ipſum dici? In hoc igitur tibi, pace tua dixerim, non aſſentior.

In altero autem, quod in eadem inſcriptione reprehendis, poſſim fortaſſe tibi aliqua ex parte aſſentiri; neque tamen prorſus aſſentior. Ais enim, non debuiſſe libellum, qui unam tantummodo epiſtolam contineret, *epiſtolarum* nomine inſcribi. Fateor; niſi aliæ epiſtolæ hanc ipſam in aliis libellis, deinceps edendis, ſequuturæ eſſent. At licebit, inquis, iſta ratione, eum, qui unum modo operis alicujus tomum dat, quem alii deinceps tomi ſequuturi ſunt, non *tomum primum* illum ſuum, ſed *tomos* inſcribere. Ridicolum id quidem, inquam. Quid enim ſimile? Qui unum operis alicujus tomum dat, is non totum opus, ſed operis partem dat (ſcis enim *τόμον* græcis, *ſectionem*, ſive *partem* latinis eſſe). Non igitur mirum eſt, ſi non *tomos*, hoc eſt univerſum opus, profiteri vere poteſt dare ſe. At, qui profitetur, ſe dare epiſtolas, is non ſe *epiſtolam*, ſed *epiſtolas* dare profitetur. Vides diſſimile? Fortaſſe non vides. Quid faciam? aut ego planius eloqui neſcivi, aut tu minus, quod eloquutus ſum, percepiſti.

At certe, inquis, amicus meus, qui Nocetii

tii rationem reprehendit, profitentis, non omnia ſe adverſarii ſui peccata in ſuo illo *Vindicate veritatis* opere complexum eſſe, ſed habere ſe alia, quæ ad alium operis tomum reſervaret; minime ipſe debuit hanc reprehendendi ſui in eodem genere anſam præbere. Ait enim pag. 17. *Neque ſatis eſt . . . alia multa habere te dicere, præter ea, quæ hoc* (id eſt, tuo) *libello continentur, quæ contra Chriſtianam Theologiam* (id eſt, contra Concinæ librum, eo titulo inſcriptum) *opponas nam iſto modo facile poteris ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum querelas producere, ſemperque aliquid premendo ſupereſſe tibi jactare, quod opponas contra chriſtianam theologiam*. An non igitur, inquis, ſimiliter poterit in amicum meum ſuus hic ipſius ſermo converti ac retorqueri, & homini, in fronte libelli ſui *epiſtolas* venditanti, in ipſo autem libello non niſi *epiſtolam* exhibenti, multo aptius juſtiuſque reponi? An tu, Dinelli, ſatis eſſe putas, *alias multas habere te epiſtolas* denunciare, *præter eam, quæ una libello hoc tuo continetur, quas contra Nocetii opus opponas? Nam iſto modo facile poteris ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum querelas*, ſive potius denunciationes iſtas tuas minaſque *producere, ſemper que* aliquam *Epiſtolam præmendo; ſupereſſe tibi jactare alias, quas contra* Nocetii *opus opponas*.

His tu non Dinellium modo, ſed me (nam quid diſſimulem?) valde premis atque urges. Itaque dabo illud tibi atque permittam, ut *epiſtolarum* profeſſionem illam ab inſcriptione

ellib-

libelli, unam modo *epiſtolam* continentis, removeas ac tollas : niſi forte exiſtimas, ita dici pluraliter *epiſtolas*, quemadmodum *litteras*, latine poſſe, idque Dinellium, bonum, tuo judicio, latinitatis auctorem, ſenſiſſe; cujus te ſive judicio ſive teſtimonio non ſtare, nefas eſſet.

Pag. 7. Hoc quoque tibi permittendum cenſeo, ut poſſis arbitratu tuo tam longum non admodum longæ epiſtolæ argumentum ſive contrahere, ſive etiam plane totum in iſta tua editione prætermittere. Nam certe epiſtolarum argumenta vel nulla prefigi debent, vel debent præfigi breviſſima. Quid enim legendi ipſas epiſtolas cupiditas atque ardor mora illa argumenti injecta, ac tamquam offendiculo objecto, retardetur? Quod ſi ejuſmodi argumentorum in veterum clarorum hominum epiſtolis exempla non deſunt, id ab aliis, qui eas legi vulgo voluerunt, & tamquam legendi optionem, quæ cuique maxime placuiſſet, præpoſita admonitione illa tractatarum in quaque epiſtola rerum, hominibus dare, non vero ab ipſis, quorum eæ ſunt, præſtitum conſtat: ut plane novum ac recens ſit, planeque ineptiſſimum, eumdem & epiſtolam ſcribere, & epiſtolæ ſuæ, uni præſertim, argumentum, idque, ſi cum ipſa epiſtola comparetur, longiſſimum præponere. Quid? tu me non ridiculum putares, ego non item te, ſi uterque noſtrum in iis epiſtolis, quas invicem alter ad alterum damus, præpoſitis argumentis uteremur, biſque de iiſdem rebus, ſemel quidem brevius, iterum autem proli-

xius,

xius, non minus opera quàm otiò abutentes, iiſdem litteris ageremus? Recte igitur, mea quoque ſententia, argumentum iſtud in nova editione prætermiſeris. Qua re illud etiam conſequeris, ut et tibi edendi, & reliquis emendi libelli ſumtus aliquantum minuatur.

Pagina 11. Epiſtolæ Dinellianæ. *Idque tibi, quin neges aut recuſes, non ſolum amici, ſed pene obvii quique publice gratulentur.*

Probas tu quidem mihi, non apte, neque ex veterum Latinorum conſuetudine adverbium illud *quin* hoc loco fuiſſe uſurpatum; quæque in eam rem admodum ingenioſe atque ſubtiliter diſputas, duco eſſe veriſſima. Nec tamen tibi quidquam cenſeo hoc ipſo loco eſſe mutandum. Nam quam multos putas tuo iſto latinorum, ut ita dicam, oculorum acumine præditos eſſe, ut hæc minima cernant atque animadvertant, aut notare poſſint? Satis eſt, ſi ea ſuſtuleris, quæ abnormiora ſunt, magiſque eminent, quæque in facilem ac propemodum neceſſariam animadverſionem ac reprehenſionem incurrunt. Quod ſi hoc ſuſcepiſti, ut ad veram illam atque germanam veterum Romanorum ſcribendi conſuetudinem Dinellianæ epiſtolæ ſcriptionem revoces, negotium, mihi crede, valde longum atque operoſum ſuſcepiſti; tibique totum iſtud illam iterum vulgandi conſilium abjiciendum eſt, & totam refingendi ac reformandi nova cura atque opera recipienda. Nam, quamquam multum amici tui in latine ſcribendo elegantiæ tribuas, ipſumque ſibi plurimum tribuere aſ-

fir-

firmes, pluſque illum de verbis, quam de rebus, rerumque pondere ac diſtributione ſolere eſſe ſollicitum; quin ſæpe ſententiam, ne verbulum cogatur concinnioremve ſuo judicio formulam, perdere (id quod pleriſque etiam ita videri video), tamen, quam longe ille ab integritate illa ac perfectione, atque illo latinitatis colore abſit, de quo Philippus Bonamicius, civis tuus, idemque amiciſſimus meus, in aureolo illo ſuo *de claris Pontificiarum epiſtolarum ſcriptoribus* libro, Pag. 92. Rom. edit. apud Fratres Palearinios anno 1753. qui nuper in manus hominum venit, veriſſime dicit, *facilius qualis ſit, intelligi, quam explicari poſſe*, quemque illi ipſi, qui ſentiunt atque intelligunt, quos pauciſſimos eſſe conſtat, neque omnes, neque ſemper, quum maxime velint atque conentur, aſſequuntur, profecto intelligis. Ac mihi quidem Nocetii atque Dinellii ſtilum, quo uterque in his libellis ſuis uſus eſt, conſideranti, interque ſe comparanti, Nocetii quidem minus elaboratus ac negligentior, Dinellii autem accuratiſſime ac laborioſiſſime, nimioque opere, nimiſque exquiſita diligentia effictus, atque undique captatis acervatiſque orationis veluti floſculis diſtinctus ac pictus videtur; ita tamen, ut alterum appareat non tantum voluiſſe contendere, quantum potuerit, & vero ſolitus ſit (nam rebus intentus id modo unum, ut plane ac dilucide, non autem etiam ornate loquens, vulgo intelligeretur, curavit; maluitque in re theologica theologus, quam philologus videri), alterum non plus potuiſſe, aut vero poſſe,

quam

quam quantum vires ſuas univerſas exerens, omnique ſua facultate contendens, effecerit. Sed in illa Nocetii negligentia certiſſimæ notæ atque indicia robuſtioris cujuſdam atque excellentis in ſcribendo facultatis exſtant; in hac autem tanta Dinellii diligentia ſummoque conatu infantiam neſcio quam atque imperitiam agnoſcunt, qui de his rebus judicare poſſunt, ego qui non poſſum, non agnoſco. Sed ad tuas animadverſiones revertamur.

Pag. 12. Epiſt. Dinell. *Itaque moleſtus tibi non ero ullis ſalibus, conviciis, & injuriis ... Quamvis enim is ego ſim, qui ſermones ſcripſi ad Danielem Concinam de querelis Probabiliſtarum, cave tamen exiſtimes, ita comparatum eſſe me, ut nequeam, cum oportet, a ſalibus mihi temperare.*

Tuis auribus aliud neſcio quid, quam quod dicere Dinellius voluerit, ſonare illa *is ego ſim, qui*, minime mirum eſt. Nam certe pronomen *is*, ita poſitum, non *ille* (quod dicere Cathedraticus voluit) ſed *talis* latinis, quales tuæ ſunt, auribus ſonat. Verum non is ego ſum, qui tam diligenter a te ſingula Cathedratici verba ad perfectam illam, qua tu uti in ſcribendo ſoles, latinitatis normam dirigenda ac revocanda cenſeam.

In ſalibus autem, quibus *moleſtum* ſe Nocetio non futurum, a quibuſque ſibi *temperare, cum oportet*, non nequire, Cathedraticus profitetur, nequaquam tibi ſimiliter connivendum ſed omnia diligentiſſime expendenda exiſtimo. Non enim videris mihi ſine cauſa, quid ille *Salium* nomine intellexerit, dubitare. Nam,

ſi, ut

ſi, ut ais, id intellexiſſet, quod vulgo homines, qui latine ſciunt, ubi ſales, non carnium atque epularum, ſed orationis, nominantur, intelligunt, acute nempe atque ingenioſe dicta, ingenuos ac liberales jocos, illum denique *facetiarum quemdam leporem, quem ex omni genere urbanitatis libandum, quoque tamquam ſale perſpergendam omnem orationem* Cicero I. de Orat. c. 159. ille noſter præcepit, profecto neque ſe *moleſtum* Nocetio, aut vero cuiquam, illos adhibentem, futurum crediddiſſet, neque ſibi ab illis in hac ſua epiſtola *temperandum* atque abſtinendum, tamquam ab aliquo flagitio, eſſe duxiſſet. Ac videtur ille mihi *ſalium* nomine non modo non mite illud, atque ab omnibus conceſſum, quodque omnes intelligunt, intelligere, ſed grave neſcio quid atque atrox, immo *conviciis* ipſis & *injuriis* gravius atque atrocius ſignificare. Quum enim *moleſtum* ſe Nocetio ullis *ſalibus*, ullis *conviciis*, ullis *injuriis* futurum negaſſet, continuo *ita comparatum eſſe ſe* dixit, ut *a ſalibus* quidem, *cum oportet, ſibi temperare* poſſit; a conviciis autem & injuriis poſſit nec ne *ſibi, cum oportet, temperare*, non dixit: ut omnino videatur, ne moleſtus ſit Nocetio futurus, *a ſalibus* quidem, tamquam a graviore quadam atque acerbiore moleſtioreque re, non vero *a conviciis atque injuriis*, cum oportuerit, *ſibi temperaturus*.

Qui tandem iſti ſales erunt, tam terribiles, tam horribiles, tam odioſi, tam moleſti, tam denique inauditi, qui & *ſales* ſint, neque tamen

men aut *convicia* aut *injuriæ* ſint ? Ubi eos, mi Joannes Vincenti, reperiemus ? Ubi ? In iis certe Sermonibus, quos Cathedraticus ad Danielem Concinam ſcripſiſſe ſe *de querelis Probabiliſtarum* (quo nomine Jeſuitas appellare libitum illi eſt) nunc tandem ſcire nos (ne non poetam quoque eum, ſi non probabilem, attamen Probabilioriſtam, *cum oportet*, eſſe poſſe ſciremus) voluit. Nam, quum primum eos in iſta urbe (non Veronæ, quam urbem non verax, ſed mendax titulus præfert) anno 1744. vulgavit, nomen ſuum, multo fortaſſe, quam nunc facit, cautius atque prudentius, occultavit. In iis igitur Sermonibus *a ſalibus*, a quibus nunc, ne *moleſtus* Nocetio ſit, *ſibi temperaturum* dicit, nequaquam *ſibi*, certe ne non *moleſtus* Probabiliſtis eſſet, *temperaſſe* hac ipſa epiſtolæ pagina duodecima, continuo poſt ſuperiora, Nocetium compellans, teſtificatur : *Noſti*, inquit, *poeta cum ſis elegans atque eruditus, genus illud ſcriptionis ſalibus carere non poſſe . . . . Neque tamen ullos adhibui, niſi qui liberales haberentur, quorumque aliquando pudere non poſſet. At nunc ſalibus opus non eſt*. Ibi igitur Dinelliani hi *ſales*, quos noſſe volumus, quærendi nobis & inveniendi ſunt.

Habeo ante oculos apertum libellum (quem tu certe, ſiquidem iterum edere te velle ſcribis, legiſti numquam. Nam, ſi legiſſes, non de edendo, ſed, ſi modo bene amico tuo vis, de incendendo ac penitus abolendo cogitares). Deſcribam heic tibi aliquot Dinellianos, ut dixi, *ſales*, ac ſane *liberales*, ut

 dicit

dicit ipſe , in quibus deſcribendis ſi quid interdum interpretandi illuſtrandique cauſa interfatus fuero , & ſi quam vocem aliquando aut querelam vis doloris expreſſerit, jam nunc ignoſci mihi abs te velim . Scis enim , difficile eſſe tacere, cum doleas . Promitto autem tibi , quum hunc de Dinellianis *ſalibus* locum abſolvero , ad priſtinam conſuetudinem meam atque hilaritatem me rediturum , & de reliquis in Dinellii epiſtolam hanc animadverſionibus tuis , maxime pacato ac tranquillo amicoque animo , tamquam ſi nullis hujuſmodi *ſalibus* commotus umquam fuiſſem , quæ de ſingulis ſenſero , eſſe dicturum . Et , quoniam utrique ſermoni amicus tuus Enarrationes ſuas, easque bene longas , adjunxit , neque paucioribus *ſalibus* has , quam ſermones ipſos adſperſit , deſcribam primum Dinellianos utriuſque ſermonis tamquam poeticos *ſales* , tum tamquam oratorios Enarrationum adſcribam .

DINELLIANI EX PRIMO SERMONE AD DANIELEM CONCINAM SELECTI *SALES* .

Pagina 3. . . . . . *Quid BONA namque*
Gens Loiolliadum (ſic) *admiſit* (*vultuque habituque*
O ſanctam gentem !) *quod tu reprehendere poſſis* ? Sales ironici .

P.4. *Inluſtris ſcholæ ſcriptor vulgaverat omni* . Hæc quoque inter *ſales* numerabimus , dicemuſque *ſales proſodiacos* .

Ib.

Ib. *Quum velit atque aveat peccata RETEXERE noſtra*. Pro *retegere* ſive *revelare* dici RETEXERE, falſum eſt. Appelletur ſane hoc *ſal grammaticale*.

P. 5. *Baunius ad cœnam Divum tumido ore recentem*

A turpi ſcelere impellit. Euchariſtiæ ſacramentum *Cœnam divum* vocat, quum tamen divi ad hanc cœnam, ſive ad hoc ſacramentum non accedant; aitque, Baunium *impellere* ad eamdem cœnam, ſive ad idem ſacramentum hominem *a turpi ſcelere recentem*; quum tamen Baunius in loco, quem ipſemet Dinellius in enarrationibus pag. 29. affert, neque *tumido*, neque detumeſcente *ore* quemquam *impellat*, ſed tantummodo, Sancii opinionem & *tutam* & *in praxi ſequendam* ſibi *videri*, dicat. Opinio autem Sancii non fuerat, ejuſmodi hominem *debere*, ſed tantum *poſſe*, poſt expiatam recentem culpam confeſſione (cujus confeſſionis mentionem Dinellius non ſine magno flagitio diſſimulavit) *poſſe*, inquam, ſine peccato ad ſacramentum accedere. Baunius igitur, qui dicit, opinionem illam Sancii ſibi *tutam* & *in praxi ſequendam* videri, hoc dicit, videri ſibi, hominem a culpa recentem, ſi culpam confeſſione expiaverit, non quidem *debere*, ſed *poſſe tuto*, hoc eſt, ſine peccato, & *in praxi*, hoc eſt, re ipſa, ad ſacramentum accedere. Hoc Baunium dicere eſt ne *quemquam impellere*? Si forte Sancius (libet enim Dinelliani ſalis acumen paullo pluribus hebetare) contra unius alicujus opinionem ita ſcripſiſſet, *poſſe* Catholicos, do-

 mi-

by Google

minicis reliquiſque feſtis diebus; poſtquam ſacrificio Miſſæ interfuerint, in viam ſe dare, & viginti aut triginia paſſuum millia pedibus ſuis, via etiam deterrima, conficere: hanc autem Sancii opinionem Baunius videri ſibi *tutam* & *in praxi ſequendam* dixiſſet, diceres ne tu, Cathedratice verſificator, Catholicos, Baunii ſententia, ad ejuſmodi laborioſum iter, feſtis diebus ſuſcipiendum, *impelli*?

Sed hoc ſal tuum non eſt. A Blaſio Paſchale ſurripuiſti, quo tuum Sermonem condires. Illius enim hæc verba ſunt in Epiſtpla VI. ad Provincialem poſt recitatam Baunii illam ipſam ſententiam: *Hoc loco non me continui, ſed commotius, Ain' tandem, mi Pater, hanc opinionem IN PRAXI SEQUENDAM? Itane, ſponſore Baunio, tanto contaminatus piaculo ſacerdos ad tremendum altare ſe ſiſtet? Quanto religioſius antiquis* (addendum, *& antiquatis*) *Eccleſiæ canonibus obtemperaret, qui ſacerdotes iſtiuſmodi flagitiis pollutos, ſacrificandi munere in perpetuum, vel ad longum certe tempus arcebant, quos a ſcelere recentes eodem* (hoc eſt, *ad tremendum altare*) *nupera ſcriptorum veſtrorum dogmata propellunt?* Non modo Paſchalis ſententiam, ſed propemodum Paſchalis verba, poeta Paſchaliſta, verſibus tuis fideliter reddidiſti. Quod ille pluraliter dixit *recentes a ſcelere propellunt*, tu ſingulariter *recentem a ſcelere impellit* dixiſti. Miror, non etiam *Cœnam* illam tuam *Divum* a te in illius *altare tremendum* eſſe converſam.

At etiam in eadem enarrationum tuarum pag. 29. *Neſcio*, inquis, *quid ſibi velint Jeſuitæ*,

ſuitæ, *quum optimum quemque*, *Probabiliſtarum ſectæ repugnantem*, *putant*, *ſe ſalis digna animadverſione caſtigaſſe*, *quum dixerint* : *Paſchalem lectitat*, *Paſchalem trivit*. Atqui non hoc ego de te Dinelli, non de quibuſdam, tui ſimilibus, Jeſuita dicam, ſi *caſtigare* te, ſi tui ſimiles, *ſatis digna animadverſione* aliquando voluero. Nam Paſchalem & ego legi, atque ita legi, ut, quæ in eo legerim, probe meminerim, ſic, ut veſtra legens, ſingulis prope pagellis, quæ ſoletis ab eo ſumta in nos congerere maledicta, memoria repetens recognoſcam. Legi igitur & ego Paſchalem (nam *triviſſe* etiam me, non poſſum dicere; qui ſolitus ſum alios quoſdam auctores, a quibus bene dicendi ars, non maledicendi ratio diſcitur, terere; ne tempus, quod vos Paſchalis tritores facitis, miſere teram). Quid ergo dicam, ſi quando te, ſi tui ſimiles *ſatis digna animadverſione caſtigare* voluero? Hoc dicam: Paſchalis, hæretici hominis, a vobis lecti atque triti, in catholicos ac pios homines maledicta, contumelias, ſarcaſmos, denique calumnias, vos Paſchalis lectione iſta veſtra trituraque didiciſſe; tum eadem totidem fere verbis in ſcripta veſtra (ſatis ne catholico pioque more, vos videritis) transferre conſueviſſe: quumque illa ipſa, ab illo ſcurra conviciatore jactata, vel certiſſimis argumentis a viris graviſſimis atque doctiſſimis centies refutata conciderint, vel diuturnitate ipſa temporis obſoleverint, vos eadem, tamquam jacentia, excitare, ac, veluti deſueta, revocare atque inſtaurare ſole-

re : ne veſtro ore catholicis etiamnum maledicere , qui ſuo jam non poteſt , hæreticus homo non poſſit . Hoc ego , inquam , Dinelli , ſi quando te , ſi tui ſimiles , *ſatis digna animadverſione caſtigare* voluero , Jeſuita dicam , & magna quidem cum tua tuique ſimilium infamia atque dedecore dicam . Illudque etiam , non modo acer animadverſor caſtigatorque tuus , ſed etiam fidelis monitor , Jeſuita addam ; neminem quidem , ſed minime omnium Dominicanum hominem , qualis tu ſive es , ſive eſſe videri vis , decere , Paſchalis maledicendi libidine atque intemperantia abuti . Scis enim , opinor , qui Paſchalem legeris triveriſque , non mitius Dominicanos in illis illius epiſtolis , quam Jeſuitas , idque in alio quodam graviſſimo , atque haud ſcio an odioſiore calumniæ genere , fuiſſe tractatos . Verum tibi magnus ac familiaris auctor , atque etiam (ut ais pag. 32. Enarrationum in II. Sermonem tuum) *tuarum peregrinationum ruſticationumque comes* Paſchalis eſt , quod ita Dominicanis maledixerit , ut a maledicendo Jeſuitis non abſtinuerit , pluresque epiſtolas in Jeſuitarum , quam in Dominicanorum acerbiſſima inſectatione conſumſerit ; ut omnino videatur , majorem iniſſe Paſchalis a te gratiam contumelia Jeſuitarum , quam tibi quidquam aut doloris aut moleſtiæ Dominicanorum tuorum injuria inuſſiſſe . Quid ego dicturus ſum , ſi quando te , ſi quando tui ſimiles *ſatis digna animadverſione caſtigare* voluero , audiſti . Nunc ego te , Paſchalicos ſales undique colligentem , & in tuis Sermonibus *liberaliter* ac *ſine*

pudo-

pudore mandentem, atque identidem eructantem, pergam audire.

Ib. *Atque hoc tutentur lare ſeſe & STEMMA beatum*. Inſigne Jeſuitarum eſt ſanctiſſimi nominis Jeſu monogramma, hoc Dinellius non ſine grammaticali ſale, *ſtemma* vocat heic, & vocavit p. 4. in illo verſu, *Stemmatis ad cultum totumque adſciſceret orbem*.

P. 6. . . . . . . *Quod ſplendida bilis*
EXTIMULET agitare: PUTA, num actore triumphet. Sales, quemadmodum quidem fere omnibus videtur, proſodiaci. Certe Catullo & Perſio ſecunda adverbii *puta* ſyllaba brevis eſt.

Pag. 7. . . . . *Facili nobis præcordia LUTO*
Non adeo finxit Deus. Sal proſodiacum *nemine penitus penituſque diſcrepante*, præter unum minime idoneum teſtem.

Ib. *Pacem ſine cauſa ODIVIMUS omnes*. Sal Antonianum. Unum enim M. Antonium dixiſſe *odivi* pro *odi* in ſua illa apud Ciceronem Philipp. XIII Epiſtola conſtat. Sed, num lectio illa ipſa ſit incorrupta, non conſtat.

Ib. *IN CAUSA fuit UT litem inferremus iniquam*. Sal grammaticale. Non *in cauſa*, ſed *cauſa*, aut *cauſæ eſſe* latine dicimus; neque tum particula *ut*, ſed *cur*, *quare*, *quam obrem* adhibenda eſt.

Ib. *In nos affectant DUDUM transferre*. Et heic & alibi in his ſermonibus *dudum* pro *jamdudum*, *jamdiu*, *jampridem* uſurpatum, ſal grammaticale eſt: *dudum* enim de recentibus ac proximis rebus, non de vetuſtis ac tempore longinquis, latine dicitur.

Pag.8. . . . *Atque aliter SENTIRE caveto* :
Sal grammaticale eſt *caveto ſentire*, pro *caveto ſentias*.

Pag.9. *Uſque adeo peras ſacris IMPLERE libellis*
Turmatim SATAGUNT. Sal item grammaticale eſt *ſatagere*, cum infinitivi modi verbo conjunctum.

Ib. *Ex hoc jam melius cognoſcet quiſque, Terillus*
Quam ſit virtutis veræ cuſtos, rigidos quam
Inſtituat Canones vivendi Baunius. Sal Ironicum.

Ib. *Inlepidum genus hoc ſcriptorum*. Sal non ironicum.

Ib. . . . . *Et jura repoſcunt*
A proprio DE fonte fluentia. Video; & idem rideo falſiſſimam tmeſim.

Ib. *Vixque edocta ejuſdem tædia* (ſic) *longa*. Quodnam eſſe ſalis hoc genus dicemus, quo Probabiliſtarum turba dicitur *vix edocta Alvari longa tædia*? Sal infatuatum poſſumus dicere, ut item id quod de eadem turba ſequitur:

P. 10. . . . . . *Prorſuſque oculis ſecernere honeſtum*
Turpi, ignara ſuis, libet ut fortaſſe Medullæ
Aut Eſcobario ſortes partirier, illum
Plutoni tradit, lenam tranſmittit ad aſtra.

quæ eadem turba mox ita loquens ſalſiſſime inducitur:

Quorſum, ait, hic priſci Patres? ſine Tamburino

Non

Non intelligimus tabulas peccare vetantes;
Et Sanchez tollas ſi noſtrum, non erit alter,
Qui faciat melius licitos addiſcere motus!

P. 11. . . . . *Chartas*
Inveniat, STATIM redit in præcordia virtus. Sal proſodiacum, Avieno, aut æque fatuo poetæ placiturum. Salſa denique ad Danielem Concinam apoſtrophe ſermo hic primus concluditur.

. . . . *Heic, Daniel, ſermonem abrumpere cogor,*
Nam gemina in digitos tua venit epiſtola noſtros
Neſcio quid ſimile inſectans, ſtudioque legendi
Manopere incendor. Tu murus aheneus eſto,
Atque vale; tempuſque, precor, quandoque legendo
Aſtudiis ſi quod ſupereſt, inſume Pomeo,
Et tibi ſit Curæ multas contexere ebrias.
Nempe ita morum proficies in diſciplina,
Et melius diſces cogroſcere Buſſembaum.

Papæ! Hoc ſuperat ipſam ſalſedinem. Videamus jam, ſive guſtemus potius, ſecundi Sermonis ſales.

DINELLIANI EX SECUNDO SERMONE AD DANIELEM CONCINAM SELECTI SALES.

Initium Sermonis hoc eſt.

Is turbæ, Daniel, Trutinæ, putrique Medullæ
Addictæ ſermo de te, deducere ad imum
Quem tamen heic libet, inſulſi narrare libelli
Ante tibi quam pergo quibus convellere doctam
Jam non incectus ſatagit rationibus auctor
Hiſtoriam, fieri quæ quamvis deſitá magni,
Atque legi non eſt ab iis, qui vera doceri, &
Virtuti propiora volunt; tamen omnis abeſſet
Si jocus, & lepor, & nonnulla libido ciendi
Riſum lectori landis majora referres

Proemia (ſic) &c. Salſum horum decem verſuum in eo conſiſtit, quod, quo ſæpius atque attentius leguntur, eo minus intelligantur. *Alumen* poſſes ſalis hoc genus ſignificanter dicere, ſi ex alpha privante Græcorum, & ex latina dictione *lumen* hybridam vocem componere liceret.

Pag.3. *Fateor putere Terillum*. Mirum eſt, tot inter ſales rem ullam putere.

Pag.4. *peccare parentes*
Divinum facit in Puerum, poſt ſacra REMANSUM

Ma-

*Magno in Conventu Procerum , atque eſ-
ſutit inepte*

Medinæ amborum mores, & facta præiiſſe . Sal grammaticale , ac valde quidem ſapidum *remanſum* (quod Italis eſt *rimaſticato)* pro *qui remanſit* . De Puero Jeſu agitur , qui , ad Urbem Nazareth redeuntibus parentibus , Hieroſolymis remanſerat . Illa autem *atque eſſutit inepte* ad ſal priorum decem verſuum revocanda ſunt ; quod ſalis genus in his ſermonibus maxime dominatur .

Ib. *At tu præterea : PAPÆ ! digniſſimus iſte* . Sal proſodiacum ac plane Saliare .

Ib. . . . . . *Incomti , SEMIQUE latini* . Sal item proſodiacum .

Pag.5. *Ad quæque ingenium magni adſpiraſſet AQUINI* . Niſi ſal grammaticale eſt *Aquinum* dici S. Thomam , non *Aquinatem* , inſulſum erit , *Arpinatem* potius , quam *Arpinum* , Ciceronem dici .

Pag.6. . . . *Ea SUS deque improbus egit* . Sal grammaticale , quod ad condiendam ſuillam Carnem ajunt non valere .

Ib. . . . . *Sunt certe iidem , qui Carterio , qui Laphiteau , qui Fabro , qui denique Divum Plaudunt Oſori* . Quod ſalis genus hoc eſt ? Ejus , quod *ſublimatum* , ſive etiam *ſolimatum* Chymici appellant , ajuntque eſſe omnium maxime acre atque corrodens . Quis autem impius ille *Divum Oſor* ? Arbitror , Mezentius ; de quo Virgilius Æneidos l. 7. v. 647.

„ Primus init bellum Tyrrhenis aſper
ab oris

„ Contemtor Divum Mezentius .

At

Digitized by Google

At minus eſt ; dicet aliquis , *Divum contemtorem* eſſe , quam *Oſorem* . Non igitur Mezentius heic , ſed aliquis , Mezentio multo deterior , magiſque impius , eſt intelligendus . Ita videtur , inquam : ſed tamen , quis intelligatur , non habeo dicere . Dicat Dinellius , is , qui *nonniſi liberales ſales* in his ſuis ſermonibus *quorumque aliquando pudere non poſſet* , adhibuit . Dicet , ſed pudibunde , & virginali verecundia dicet . *Intellige* , inquit in adnotatione ad hunc ipſum locum , *Patrem Guilielmum Cuperum , ſcriptorem Bollandianum , & ornamentorum , rerumque a S. Dominico praeclare geſtarum ridiculum everſorem* . Atqui BENEDICTUS XIV. Pont. Max. ſanctiſſimus idemque ſapientiſſimus , *Scriptores Bollandianos* neque *ridiculos* , neque cujuſquam ſancti hominis *ornamentorum rerumque geſtarum everſores* , multoque minus *Divum Oſores* in ſuis ad eoſdem *Scriptores Bollandianos* litteris , ſed amantiſſimis atque honorificentiſſimis verbis appellat . Videatur Sanctiſſimi Patris ad eoſdem epiſtola III. Non. apr. an. 1751. data , & Anturpiæ eodem anno apud Bernardum Albertum Vander Plaſſche edita . Nimirum neſcivit Pontifex , in omni reliquo doctrinarum atque artium genere nihil non ſciens , Dinellianos hos ingenuarum facetiarum , & *liberalium ſalium , quorum numquam pudere poſſit* , uberrimos ac præclaros fontes .

At fortaſſe ita contumelioſe appellare *Cuperum* a Reverendiſſimo P. Antonino Bremondio , ſummo atque ampliſſimo totius Prædicatorum Ordinis hoc tempore Magiſtro , Dinellius

lius didicit, a quo commentarium contra Cuperi ſententiam ſcriptum editumque Romæ anno 1740. ſciebat, ad quem ipſum commentarium lectores ſuos in hujus loci enarratione rejicit. Ait enim, *Legito P. Antonini Bremond, Theologi Caſanatenſis hiſtoricam Demonſtrationem de Guſmana ſtirpe Sancti Dominici*: Legi equidem neque vero legens Bremondium in Bremondio deſideravi. Qualem hominum ſermone atque ipſa fama acceperam, talem, illo ejus commentario legendo, cognovi; ſcriptorem ſummo ingenio, exquiſita eruditione atque doctrina, &, quod maxime illa ipſa ornamenta commendat, ſingulari modeſtia ac comitate. Non tam ille mihi viſus eſt cum homine docto, quam cum docti hominis opinione inſtituiſſe certamen; qui quidem Cuperi opinionem omni argumentorum genere convellere ac labefactare conetur; Cuperi vero dignitati ubique parcat; in quo ipſo nuſquam non retinet ſuam.. Tu, qui nos Bremondii *hiſtoricam Demonſtrationem* legere, Dinelli, jubebas, an non eam umquam legiſti? Nos quidem, quemadmodum dicebam, & legimus & ſuſpeximus. Te numquam legiſſe valde ſuſpicamur. Legito (Paſchalis tui lectione paulliſper omiſſa; quicum & *peregrinari* ſolitus es, & *ruſticari*) legito, inquam, Dinelli, Bremondii, ſupremi tui Ordinis Magiſtri, hiſtoricam contra Cuperum Demonſtrationem, & (ſi hoc vel nos a Dinellio, vel Dinellius a ſe ipſo impetrare poteſt) ſemel in tua vita erubeſcito. Legito, vel in ipſa præfatione operis, illa: *Cur debitaverit* (de Guſmana S. Do-

Dominici nobilitate Cuperus) *exponens*, *authentica teſtimonia deſiderat VIR CLARISSIMUS*. *Authentica dantur*. &c. Legito cap. 3. num. 6., poſt quædam Cuperi verba recitata, illa: *Hæc VIR CLARISSIMUS CUPERUS*: & num. 8. illa: *Sed age*: *&*, *ut magis ac magis Ambroſii Morales mentem aſſequamur*, *quo tendat ipſius Diſſertatio videamus ex ipſiſmet verbis*, *quibus ERUDITUS CUPERUS deceptus eſt*. Immo tu, vir clariſſime atque eruditiſſime, Bremondi, deciperis, qui Cuperum, quocum tibi tanta controverſia eſt tantumque diſſidium, tam honorifice appellas. Cuperuſne *Bellandianus* ille *Scriptor*, quem Dinellius *ridiculum ornamentorum rerumque a S. Dominico præclare geſtarum everſorem*, & non unius Divi, ſed omnium *Divorum Oſorem* appellat, Cuperuſne, inquam, a te & *clariſſimus vir*, & *eruditus* appellatur? Vide, ne veram atque legitimam appellandorum hominum, aut certe adhibendorum in oratione ſalium, rationem ignores. Aut tu falſo atque inſulſe, aut Dinellius vere ac ſalſe loquutus eſt. Tertium nihil video. Erraſſe te, non poſſum dicere, hominem ſapientiſſimum. Quid relinquitur, niſi ut erraſſe Dinellium dicam, hominem certe ſtultiſſimum; qui, quem tu virum dignum tua laude anno 1740. ſcribens exiſtimaras, eum ipſe anno 1744. ſcribens, tuumque ſcriptum illud ipſum memorans ac veluti oſtentans, maledictorum inaudito genere cumulavit.

Atque is mihi etiam Epiſtolæ ſuæ pag. 12. gloriatur, *odiſſe ſe ſemper convicia atque calumnias*, additque, *& valde gaudeo in eorum*

mihi

mihi ſocietate eſſe vivendum , a quorum moribus & doctrina & longe abſunt , & vulgo putantur abeſſe : nec intelligit homo inſaniſſimus (niſi forte mavult , hominem ſe *ridiculum* , atque *Divorum Oſorem* , quam inſaniſſimum dici , quam vere hæc de iis , quibus cum vivit , nobis etiam & confitentibus & gratulantibus , prædicat , tam turpe eſſe ſibi non ſe eorum cum doctrinæ tum moribus conformare , immo unum e paucis inter *ſuos* eſſe , a cujus *moribus & doctrina* convicia atque calumniæ *nec longe abſint , nec vulgo putentur abeſſe Gaudere* vero eum , quod in hominum neque conviciatorum , neque calumniatorum ſocietate vivat , tam eſt incredibile , quam Æthiopem Galatarum , deformem formoſorum , ebrioſum ſobriorum , effrontem verecundorum , denique quavis improbitate inſignem proborum ſocietate poſſe gaudere . Illud multo credibilius , eos , quorum ſocietate atque convictu *valde gaudere* ſe dicit , eo ſocio ac convictore valde mærere , quem tam a ſuis *moribus* atque *doctrina* abhorrentem & videant & averſentur .

Ib. . . . . . *Roſcius ille benignæ*

Sectæ . Quis iſte Roſcius ? Quis iſto comœdi hominis nomine ſignificatur ? *Probabiliſtæ* , inquit in adnotatione ad hunc locum Dinellius , *Segnerum* , *QUEM HEIC SIGNIFICARE VOLO* , *in ſua ſecta Roſcium appellant . . . Jam vero non puduit Segnerum iſtum* &c. *Si Segnerum iſtum* (quem non Probabiliſtæ , qui non uſque adeo faceti ſunt ac ſalſi , ſed Dinellius Probabilioriſta , alter Volumnius , ſalinarum procurator , Cicero Famil. lib. VII.

ep.

ep. 32. primus omnium *Roſcium* ſalſiſſime appellavit) quidquam *non puduit*, id eo factum eſt, quod nihil umquam dixit aut fecit, cujus *aliquando pudere poſſet*; quod idem gloriari in non *benigna ſecta* Volumnius non poteſt.

Pag.7. . . . . . . *Salacem*

Sanchez, aut Eſcobarium, putremve Dianam. Hos quoque inter *liberales ſales* numeret Dinellius? Ne horum quidem cathedraticum Caſanatenſem non modo non pudet, ſed ne *pudere* quidem *aliquando poſſet*? Præſtantiſſimum illum inclyti Clericorum Regularium Ordinis Theologum Dianam *putrem*, non dicam *tumido*, quod ipſe de Baunio, ſed fœtenti ac plane putrido ore dicit? Sanchez vero etiam *Salacem*? Utrum ne hoc eſt eſſe liberalem, an vero liberrimum? Salſumne, an ſalſamentarium quemdam, e taberna convicia in prætereuntia ſcorta jacientem, velle videri? Quin infimæ conditionis homines, ſi, quod Dinellius de tali ac tanto viro per ſummam contumeliam dicere non erubuit, dicere de meretrice aliqua cogerentur, honorem, credo, præfarentur. O ſalipuſium diſertum!

Ib. *Prorſus faſtidire, licet Chriſti Munimentis*
Non bene reſponſet. Sal proſodiacum.

Pag.8. . . . . . . *dum menda libellum*
Ipſa ſuum tenebris OBRUANT, operamve locare &c. Fortaſſe in ſuperiore vocabulo *Munimentis* nullum ſal fuit, ſed typographicum mendum, pro *Monimentis*, ſive *Monumentis*, irrepſit. Sufficitur ergo heic aliud, minime mendoſum, ſed germanum ac me-

merum ſal proſodiacum. Alvarus quidem, is, cujus *longa tædia*, ſive, ut Dinelliana orthographia ſcribam, *tædia*. *Probabiliſtarum turba vix edocta*, pagina ſermonis primi nona, dicta eſt, in ſua *Summa proſodiæ*, ſive *Medulla artis metricæ*, hanc de *obruo* ſententiam, P., ideſt, ut ego interpretor, Patrem Virgilium Maronem, & P., ideſt, Patrem Ovidium Naſonem, homines neque *ſalaces*, neque *putres*, alioſque doctiſſimos Probabiliſtas (qui tamen, ante excogitatum ab ingenioſiſſimo Dominicano P. Fr. Bartholomæo Medina Probabiliſmum, vixiſſe & ſcripſiſſe dicuntur) ſequutus, hanc, inquam, de *obruo* ſententiam ut probabilem, & *tutam in praxi* propugnat:

„ Utraque vocalem ſi conſona juncta ſequentem
„ Non ferit, anteiens *brevis* eſt, *velut obruo*, *numquam*.

Cathedraticus Dinellius ſatis habet, eſſe hanc ab Alvaro Probabiliſta defenſam ſententiam, ut *laxam* & *periculoſam*, imo etiam a Papa Angelico I. (eo ipſo, quem poſt Alexandrum VI. fore ſummum Pontificem R. P. Fr. Hieronymus Savonarola Florentino populo pro Concione denunciabat) *confixam* apud ſe ſtatuat. Itaque *probabiliorem* tum *ſubjective*, tum *objective* ſententiam amplectitur, illa potiſſimum ratione ductus, *laxiſmum* manifeſtum eſſe ab iis legibus, quas ſummo conſenſu homines ſapientiſſimi ante ſanxerunt, ab iiſque juris regulis, quas *generales* vocant, recedere: *generalem* autem regulam *in corpore* poetici juris exſtare, qua vocales breves,

 mu-

mutam & liqidam Conſonantem litteram præeuntes, arbitrio Vatum ſive contrahendæ ſive producendæ permittuntur; qua ex re fieri, ut Caſanatenſis, in qua ipſe *veſperi* ſedens docet, cathedra, *tuta conſcientia* dici etiam *Cathedra* poſſit: exceptiones autem *generales* Commentum Probabiliſtarum eſſe, argutiis ſuis legum vim, & legislatorum auctoritatem eludentium: haſce regulas ſartas tectaſque præſtari oportere, ab optimo Probabilioriſta Paſchali ſe didiciſſe; *cujus*, inquit in adnotationibus ad Sermonem II. pag. 32., *me tam non pudet ſtudioſum eſſe, ut libere fatear, cum mihi non ſolum domi eſſe, ſed mecum etiam peregrinari, ruſticari*. Habeant ſibi igitur Probabiliſtam Alvarum Probabiliſtæ; ejus ſtudioſi ſint; eum domi ſuæ legant, cum eo etiam peregrinentur, ruſticentur: ſe quidem vatem & oratorem Probabilioriſtam, ab Alvaro, ab ejuſque *laxiſſimis* exceptionibus, & integritatis Caſtitatiſque metricæ abominandis corruptelis, tum in *obruo*, tum in aliis pleriſque, ab eo cum de proſa, tum de vorſa oratione traditis, nimium quantum abhorrere. Nos reliquos Probabilioriſticos tales videamus.

P.8.& 9. . . . . . *Non amplius unum, aut*
Alterum ab hinc annum, nil prela adferre videbis. Sal grammaticale eſt *ab hinc* cum verbis futuri temporis conjunctum. Ita Alvarus tractatu de Adverbiis, diſp. 5. art. 4. ſect. 3.

„Gaudet *ab hinc* verbis *exacti temporis*. Ergo
„Natus ab hinc annos, vel centum dicimus annis.

Quid

Quid Dinellius? ridet, opinor, ſtultitiam noſtram, qui illum afferendis Alvari, hominis Probabiliſtæ, ſententiis, convinci poſſe exiſtimemus; quum præſertim Gaſparem Scioppium Probabilioriſtam habeat, quem Emmanueli Alvaro opponat.

P. 11. *Illud TANTOPERE, quod faſtidire videri Vultis*. Sal proſodiacum, quod cæſura non eluit. Cæſuræ enim ſunt a *regulis generalibus* exceptiones; a quibus vates probabilioriſtæ abhorrere ſe profitentur. Simili ſale conditus in Sermonis I. pagina 10. verſiculus ille fuit, a nobis præteritus: *At non magnopere placeant hæc bibliopolis*.

Ib. *QUOD noſtri ſatagunt, pleniſſima pectora honeſti*. Sal grammaticale.

Ib. *Hem, quid ais? Reddo falſis opprobria vera*. Fateris igitur, Dinelli, reddi a te Jeſuitis pro *falſis* opprobriis *vera opprobria*. Ubi eſt igitur illud tuum epiſtolæ pagina 12.? *At nunc ſalibus opus non eſt, multo minus conviciis . . . . quæ quidem ſemper odi*. An *opprobria* non inter *convicia* numeras? An *convicia*, non autem *opprobria odiſti* ſemper? At ego, te neque *opprobria*, neque *convicia* odiſſe umquam, planum tuis verbis, hoc eſt, ſalibus, facere pergam. Sunt ne illa tua, quæ ſequuntur?

Ib: . . . . . *Huc invitum*
Quandoquidem improbitas veſtra & maledicta trahunt me:
. . . Malo delinquere ſolus,
Quam ferrugineæ palpem ut deliria turbæ
Delictis obſtringi alienis. Non unum

aliquem Jeſuitam (quod ipſum ; niſi forte in aliquem tui ſimilem , quem tamen nullum inter Jeſuitas reperiri quovis pignore contendo , inveherere , ferendum non eſſe homines , tui diſſimiles , rectiſſime judicarent), ſed univerſum Jeſuitarum cætum tu , tu , inquam , Dinelli (quem natum neſciebamus , ſed , quandoquidem & ſacerdos , & Dominicanus , & Cathedraticus Caſanatenſis veſpertinus , & ſummæ S. Thomæ interpres es , non proletarium aliquem , in fornice natum , in trivio educatum , non profeſſione maledicum , non ſine pudore ac fronte , non denique mente prorſus captum ac furioſum credebamus aut credimus), non modo *ferrugineam turbam* , quod ſcurrile convicium eſt , tibique concedendum , ſed *maledicum* , ſed *delirum* , ſed *improbum* dicere , & nefaſtis chartis tuis tam inſignem contumeliam , immo tot inſignium contumeliarum tantos acervos conſignare , totaque paſſim Italia atque Europa vulgare , poſteritati denique omni conſequenti mandare auſus es ? Hi ſunt *Sales liberales* illi tui ? illi , illi inquam , ſales , *quorum te aliquando pudere non poſſet* ? An ne nunc quidem eorum , Dinelli , mi frater , (ſic enim tecum agam , ut non iracundia , ſed miſericordia erga te commotus videar) ne nunc quidem , inquam , eorum te pudet ? Non ergo vides ſi te illorum non pudet , fore , ut graviſſimos viros atque honeſtiſſimos Dominicanos tuos neceſſario pudeat tui ? Mihi ſi quid , non modo tale , ſed multo mitius ac levius , de iſto tuo tam illuſtri , deque univerſa chriſtiana Republica tam præ-

cla-

clare merito cœtu inter ſcribendum excidiſſet, quamquam me ſcripti illius mei continuo ac valde quidem non puderet modo, ſed etiam pœniteret, tamen Meorum omnium maximam offenſionem, maximam indignationem, maximam animadverſionem, eamque, meo etiam judicio, maxime debitam meritamque effugere non poſſem: meque fortaſſe non minus impudentiæ illius meæ, quam pudoris, ruboris, doloriſque, quem Meis impudentia mea illa certe ſummum atque incredibilem attuliſſet, puderet. Memento, te non tibi ſoli, ſed Tuis etiam & loqui, & ſcribere, & vivere oportere. Poſſes fortaſſe, ſi ſolus eſſes, tuo dumtaxat periculo impudens eſſe: quum tam ſis comitatus, ſine magno juſtiſſimoque comitum tuorum dolore ac querela, impudens eſſe non potes. Puduiſſe te quidem jam tum illa edentem putabamus, qui nomen tuum a pudendi libelli fronte removiſſes: quod quidem nomen nobis ignotum non fuit. Vix edito libello tuo, ejus eſt ad me unum exemplar Luca Florentiam allatum, & auctoris nomen ab eo, qui attulerat, indicatum. Scis, quid & de libello, & de auctore ſtatim ad Cl. Virum Joannem Dominicum Manſium ſentire me ſcripſerim. Nam, quum epiſtola, quam ad eum de ea re dederam, illi incedenti per Urbem neſcio quo Caſu, jam a ſe lecta, excidiſſet, ad te perlata eſt; tuque, quod eam reſignatam videres, putaſti probabilioriſticis tuis argumentis adductus, multo eſſe probabilius, multoque *in praxi* tutius licere eam tibi, antequam, ad quem miſſam eſſe inſcriptio de-

 cla-

clarabat, remitteres; non modo legere ſemel & iterum univerſam, verum etiam, quæ in illa ſecretiora erant, ea ad amicos quoſdam tuos, quos meminiſſe debes, tum abſentes, per litteras deferre. Scis, puto, hæc omnia ſcire me. Verum, iis hoc tempore prætermiſſis, hoc ego ſcire te volo, jam tum neque me neque Meos ignoraſſe, a te Sermones illos fuiſſe compoſitos atque vulgatos. Quid ergo eſt? Cur non ego, cur non Meorum aliquis in tanta injuriæ atrocitate commoti ſumus? Cur non reſtitimus? Cur vim non vi repulimus? Cur tibi nullo non modo libello, ſed ne littera quidem ulla reſpondimus? Cur? Puduiſſe te, illa cum ederes, poſtea vero quam edidiſſes, pœnituiſſe etiam, arbitrabamur. Commiſſum facinus pudenti exprobrare, ſceleriſque pœnas a pœnitente repetere, noſtræ humanitatis eſſe non duximus. Maledici a te nobis, paſſi ſumus, ne male eſſet tibi. Nam, ſi reſpondere maledictis tuis animum induxiſſemus, non nos quidem, quod tu in nos ſcelerate ſtultiſſimeque feciſti, in Anonymi perſona atque calumnia univerſum iſtud tuum ampliſſimum Sanctiſſimumque Dominicanorum collegium comprehendiſſemus, ſed invicem, quemadmodum neceſſe eſt, ſeparatis perſonis, publicaque cauſa a privata contentione ſejuncta, te nominatim, Fr. Vincenti Maria Dinelli, compellaſſemus; tecum privatim eſſe nobis rem ac controverſiam, denunciaſſemus; te, te, inquam, unum petiſſemus; in te unum omnis noſter fuiſſet impetus converſus atque collatus. Quid tum? Minus tibi

a no-

a nobis, quam a Tuis timendum eſſe videbamus. Nam nos quidem quid facere poteramus? id unum, ut opinor; calumnias tuas refutare, convicia retundere, coarguere mendacia; calumniatorem te, conviciatorem, mendacem oſtendere: nihil præterea. Quid vero Tui? Horret animus, quid Tui de te, ſi per nos libelli illius Auctor proditus eſſes decernere ac ſtatuere potuiſſent, ac certe decreviſſent ſtatuiſſentque, meminiſſe. Extrema tibi omnia, qui nihil de te timuiſſes, timebamus. Veriti ſumus, ne, tanto tuo flagitio deprehenſo atque edito, tantum in te omnium Tuorum odium, tantuſque illius vindicandi omnium ardor exſiſteret, ut non modo ad Caſanatenſem, aut ullam paullo honorificentiorem cathedram numquam evocari poſſes, ſed graviſſimis illis ſuppliciis, quæ famoſorum libellorum auctoribus jure tum civili tum canonico conſtituta ſunt, tam famoſi libelli non dubitandus auctor afficerere: neque preces, quas ad deprecandum tantum a te ſupplicium, ultro interponere atque adhibere parati fuiſſemus, quidquam apud rectiſſimos conſtantiſſimoſques judices tuos fore valituras ſperabamus. Hæc de te veriti, noſtri propemodum obliti ſumus; injurias noſtras temporibus tuis condonavimus atque remiſimus. Opinione illa noſtra pudoris ac doloris de tuo tanto ſcelere tui, commoti, tibi tum ac nomini tuo nos, quos tu tam ſine ratione ac modo violaras, ultro pepercimus. Nulla tum, nulla ex illo tempore ad hanc uſque diem, cujuſquam noſtrum doloris aut querelæ vox, in tanta

tua in nos importunitate, audita eſt. Prope decem jam anni ſunt, cum libidinem tuam ac petulantiam, contra nos in libello illo tuo clamantem, taciti ferimus. Cur tu non etiam taces? cur non diſſimulas? cur tamdiu a nobis occultatus, nunc tandem tu te prodis ipſum? Quid neceſſe fuit *Sermones* ullos, non dicam tuos, ſed cujuſquam, a te commemorari, ne, cum de alienis diceres, de tuis forte cogitaremus? quid, quod tuos eſſe illos ipſos, ſcire etiam homines voluiſti? quid, quod eorum te non pudere? quid denique, quod, ne *pudere* quidem *aliquando poſſe*, dixiſti? Cur committis, ut, quod a te jamdiu tibi debitum ſupplicium avertere tam diuturno ſilentio noſtro conati ſumus, id in caput tuum intempeſtiva iſta teſtificatione tua nunc demum arceſſas? Quam tu non modo impudens, ſed etiam ſtultus atque amens es? Nam quid fieri aut cogitari ſtultius atque amentius poteſt, quam, in ipſo ſeveriſſimorum judicum conſpectu, ſceleris atrociſſimi eſſe ſe reum, idque ipſum gloriantem, confiteri? Sed de ſtultitia tua tu videris. Nos de impudentia tua videre pergamus; & aliquod etiamnum ſales tuos impudentiores ſeligamus: ſi forte te, recognoſcendis iis, incipiat aliquando eorum tuique pudere.

Pag.12. ..... *propudiis Sanchez & Tamburini*. De ſale, quod ineſt in voce *propudiis* ſatis diſputat amicus meus Facciolatus in ſuo gloſſario ad eam ipſam vocem. Fortaſſe id ſalis genus eſt quod Itali dicunt *Sal. puzza*.

P.13. *Nil etenim moror indoctæ præconia turbæ*

Pro

Pro Sanchez & Tamburino , quos amat in ſpem .
Altaris tantum . Dein quod tibi (o P. Concina) *quum maledicunt*
Propterea buccones iſti , non quia certe Ledantur faciunt &c.
. . . . Melius quod certe intelligis ipſe (o P. Concina)
Quam Sanchez centum &c.
Quid nugæ Medinæ , quid ſomnia mille Terilli ,
Queis miſero vellent impune illudere vulgo &c.
Atque ſuos iterum Oratores atque Poetas ,
Quos bonus Angelius caculæ conjungeret omnes ,
Stulte obtrudunt &c.
Tabeſcuntque ſuis tricis , ſuffragia vulgi
Queis magis ignavi venantur , propterea quod
P.14. *Deſint , quæ doctorum in cœtu digna legi ſint* . &c.
Nam ſi propterea putri convicia lingua
In te contorquent , quod contempſiſſe videris
Tam ſibi dilectos lepido ſermone Magiſtros &c.
. . . . Næ illi pueros imitantur
Iratæ graviora timentes verbera matris :
Ergo age (o P. Concina) *pro re divina , pro Relligione*
Conſtans te magis ipſum adfirma (ideſt obfirma) *ſperne querelas ,*
Sperne odia obſcura . & Guſmanum te eſſe memento . .

Hoc

Hoc vero neſciebamus *Guſmanum* eſſe P. Concinam. Quid ſi id *ridiculus* ille *Oſor divum* Cuperus ſciſſet? Fortaſſe non *Oſor Divum* audiſſet. Nam, Patri huic Guſmano mirifice fauturum fuiſſe, credibile eſt. Ego vero, ſalis hoc novum genus quo nomine appellem, neſcio ob eam ipſam rem, quod novum eſt.

Ib. ....*Se laudibus ornent* (Lojolæ, ideſt Jeſuitæ)
Interea palpent vincentes ſtentora clament
Qua mare, qua tellus, & qua protenditur æther.
En Brutos: equidem non invideo: ſed oportet,
Ut reminiſcantur, veram nullius egere
Contemptu virtutem. alioquim (ſic) *meque meoſque*
Si inſulſo pergant gemitu irritare columbæ,
Turturis ingenuæ haud cunctabor reddere voces.

Explicit Sermo II. Hoc loco ſcire velim, qui ſit *inſulſus* iſte, omnique ſale carens *Gemitus columbæ*, quidve *inſulſo* iſto *columbæ gemitu* ſignificetur? *Significatur*, inquit Dinellius in hujus ipſius columbini loci enarratione, *Cardinalis Bellarmini libellus, cui titulus GEMITUS COLUMBÆ, quem confutavit P. Gravina* (Guſmanus) *altero, cui titulus VOX TURTURIS*. Hactenus Dinellius, additque, ut opinor, *Intellextin*? Equidem intellexi, Reverende Pater, ſatiſque habeo per te cognitum & quem & cujus auctoris libellum *inſulſum* ſalium ſtudioſiſſimus dixeris, & quo te *irritari* querare. Nihil quæro amplius.

Nunc

Nunc ad te, mi Joannes Vincenti, redeo. Putaraſne, me adeo oblitum futurum tui, ad quem ſcilicet ſcribere inſtituiſſem, ut, ſimul atque Dinellianum Sermonum ſales attigerim ac deguſtare cœperim, continuo tu mihi veluti excideris; omniſque mihi res ac ſermo modo de ipſis ſalibus, modo cum Dinellio, aut cum alio aliquo, non certe tecum fuerit? Verum ita accidit, ut ſalium tanta cum multitudo, tum varietas, ſapor præterea exquiſitus ac multiplex, acrimonia quorumdam ac vis inſinuandi ſeſe, &, quidquid attigerant, corrodendi abſumendique incredibilis, non modo te a me abduxerit, ſed prope me a me ipſum avocarit. Quid, ſi etiam in Enarrationum, multo, quam Sermonum ſunt, uberiores atque admirabiliores ſalinas (id quod facturum me tibi oſtenderam) me conjeciſſem? Neque exitum, mihi crede, habuiſſet oratio mea, neque de te fortaſſe amplius cogitaſſem, egoque ipſe mercurialium, ut ita dicam, halituum, undique erumpentium, perque nares meas in caput ac cerebrum pervadentium copia atque impreſſione perculſus, ac de mentis poteſtate dejectus, numquam fortaſſe ad me ipſum, ab ipſis ſalibus, quod vix credibile ſit, infatuatus, rediiſſem. Itaque oratorios, quos appellavi, Enarrationum ſales, quamquam initio ſtatueram, id que tibi ſignificaram, continuo poſt poeticos Sermonum ſubjungere, hoc loco non attingam. quos tamen, ne non cognoſcere ac deguſtare tu quoque poſſis, in ſeparatum libellum familiaris cujuſdam mei opera conjectos, curabo ad te cum his

ipſis

ipſis meis litteris perferendos. Ex utroque autem ſalium genere illud, quod ſcire cupiebas, quodque huic toti ab inſtituta mihi tecum re atque ab Epiſtolæ meæ argumento digreſſioni propoſitum fuit, profecto intelliges, a quibus nempe ſalibus ſibi *temperaturum* in hac ad Nocetium epiſtola Dinellius dicat, & a quibus ſibi non temperaſſe in ſermonibus ad Danielem Concinam *De querelis Probabiliſtarum* ſuis profiteatur, ac propemodum glorietur. Jam, remota omni ſalium non mentione, modo verum etiam cogitatione, ad animadverſiones tuas in Dinellii Epiſtolam, maxime pacato ac tranquillo amicoque animo, quemadmodum tibi receperam, redeamus.

Pag.13. Epiſt. Dinell. *Itaque quæ te cauſæ impulerunt*.

Pro *itaque* recte tibi videtur reponendum hoc loco eſſe *Jam* aut aliqua alia ejuſmodi dictio; non enim illativis, quemadmodum Grammatici appellant, conjunctionibus locus eſſe poteſt, ubi non aliquid ex ſuperioribus infertur ac tamquam concluditur, & quæ in oratione ſequuntur, non ad ea, quæ ante dicta ſunt, referuntur; ac tantummodo ad novum aliquid dicendum proceditur. Verum hoc quoque in eorum fortaſſe numero habendum eſt, quæ pauci quidam ſunt, qui animadvertere ac notare poſſint. Itaque, ſi voles, poteris impune locum intactum relinquere.

Ib. Epiſt. Dinell. *Idque tibi plane ad veritatem demonſtrabo*.

Hoc vero tibi non cenſeo intactum relinquendum. Nam, ut rectiſſime ais, tam abſur-

ſurdum eſt, quæ vera demonſtramus ea *ad veritatem*, quam, quæ falſa, ea *ad falſitatem* dici *demonſtrari*. Res enim poſſunt *ad evidentiam*, aut ad *perſpicuitatem*, non *ad veritatem*, ſive *ad falſitatem* ſive veræ, ſive falſæ demonſtrari. Hoc idem mendum miror non animadvertiſſe te pag. 90. iteratum, ubi ſunt illa: *eodem eſſe habenda loco*, *plane ad veritatem demonſtrabo*. Utrobique igitur in nova editione emendato.

Ib. Epiſt. Dinell. *Et utrum a te, vel a Concina fuerint depravata, perſpicere curent.*

Non debuiſti me de re tam perſpicua ac pervulgata, & vel ipſis latinitatis tirunculis nota conſulere. Cui enim dubium eſſe poteſt, non *vel*, ſed *an* particulæ *utrum* reſpondere? emendabis igitur ſine ulla dubitatione & hunc & illum alterum pag. 91. locum, ubi bis in eadem re eſſe peccatum animadvertiſti: *utrum in ſuis vel in extraneis reperiatur; utrum ab ſe VEL ab aliis proponatur*.

Pag. 14. Epiſt. Dinell. *Opus egregium chriſtianæ Theologiæ*.

Videris interdum mihi, pace tua dixerim, nimis ſeverus eſſe ac paullo etiam moroſior. Scimus omnes *opera* ſcriptoribus, non rebus, de quibus ſcripſerunt, tribui; itaque *Opus egregium Auguſtini de Civitate Dei*, *Cani de locis Theologicis*, *Petavii de doctrina temporum* &c., non *opus civitatis Dei*, *opus locorum Theologicorum*, *opus doctrinæ temporum* dici; ac propterea uſitatius ac rectius (vere ne an falſo non diſputo) dicendum hoc loco fuiſſe, *Opus egregium Concinæ de Chriſtiana Theologia*, ſive

ſive *Opus egregium*; *quod Chriſtiana Theologia* inſcribitur. Hæc, inquam, ſcimus omnes. at vero iidem non ignoramus, non omnes, qui latina lingua utuntur, ea item ſcienter uti. Et certe ita quoſdam videmus non ſatis latine quædam dicere, ut tamen ſatis, quid dicere voluerint, intelligamus. Hoc contenti ſimus.

Ib. Epiſt. Dinell. *Num is hanc Theologiam diligenter accurateque perſcripſerit*.

Fortaſſe vere dicis, neque *Theologiam* neque Philoſophiam, neque Rhetoricam, neque ullam ejuſmodi artem aut facultatem *perſcribi*, ſed *de theologia*, ſimiliterque de reliquis, *ſcribi*. Sed vide, ne, in hoc quoque reprehendendo, nimis exilia ac minima conſectari videaris. Quod certe a te factum negare non potes in reprehendendis in hac eadem pag. 14. illis, *a munere*, *quo veſperi fungor in bibliotheca caſanatenſi ſummam theologicam D. Thomæ interpretandi*. Quid enim refert, utrum illud *veſperi* cum *fungor* (quod amicus tuus voluit), an cum *interpretandi* (quod tu malles) conjungatur?

Ib. Epiſt. Dinell. *amplicandæque ſanioris doctrinæ cauſſa Collegium hoc inſtituit*.

Negas, verbum *amplicare* legiſſe te umquam in ullo latino ſcriptore, aut, quid eo ſignificare amicus tuus voluerit, ſcire; contendiſque, typographi culpa factum eſſe, ut *amplicandæque* pro *implicandæque* legamus. Equidem non arbitror etſi enim ego quoque typographi in eo peccatum agnoſco, tamen minime dubitandum eſt, quin vel *ampliandæque*, vel *amplificandæque* amicus tuus ſcripſerit.

Pag.

Pag. 15. Epiſt. Dinell. *An poterat fieri minus, quam ut ſanus quiſque ita judicaret?*

Non tam ridendum mihi hoc videtur, quam tibi videri ſcribis. Etſi enim a Latinorum conſuetudine plane abhorret, at ab Italorum tamen non abhorret; quorum eſt hic ſermo de Te, quam certo futuram fuiſſe ſtatuunt, uſitatiſſimus: *Poteva egli forſe eſſer di meno, che non giudicaſſe così ogni perſona di mente ſana?* Quod ſi latine ſic dictum eſſet: *An fieri poterat, ut non ita quiſquam ſanæ mentis judicaret?* aut, *Poteratne aliter quiſquam ſanæ mentis judicare?* id ab iis ſolum, qui latine ſcirent, intelligeretur. nunc vero, quum ita dictum eſt, *Poteratne fieri minus* &c., Itali etiam, qui latine neſciunt, quid dicatur, planiſſime intelligent. Quod certe mihi admirandum potius, quam ridendum videtur, quemquam, latina lingua utentem, cum iis etiam, qui linguam latinam neſciunt, ſui animi ſenſa poſſe communicare.

Pag. 16. Epiſt. Dinell. *Leves quaſdam exileſque unius voculæ aberiationes puta NEC pro ET; VOVISTI pro VOLUISTI.*

Revolveris eodem: nec potes a tua iſta tetrica, difficili, moroſa natura diſcedere. Diſplicet tibi *exiles* aberrationes dici; malleſque *minimas* aut neſcio quid tale. Negas *voculas* inter legendum *aberrare*; mentem, cogitationem, oculorum denique aciem *aberrare* concedis. Denique, minime *leves* & *exiles* appellandas tibi videri dicis aberrationes ejus, qui *nec* pro *&*, *voviſti* pro *voluiſti* ſcribat. Neque enim, inquis, ſi pro *& Verbum caro factum* *eſt*,

eſt, & pro *Volo Compoſtellanam peregrinationem ſuſcipere*, aut *nec Verbum caro factum eſt*, aut *Voveo Compoſtellanam peregrinationem me ſuſcepturum* dixero, *leviter* aut *exiliter* in utroque aberraro. Fateor, inquam; ſed quid facias? Levia & exilia amico tuo videntur iſta ipſa. Omittamus igitur. graviora, ſi qua ſunt, & veluti craſſiora videamus.

Ib. Epiſt. Dinell. *graviora, ſi quæ fuiſſent, neglexiſſe*.

Heic dicis aliquid, quod amico etiam tuo neque *leve* neque *exile* fortaſſe videatur. Ego vero tibi & aſſentior, & gratias etiam magnas atque adeo ingentes ago; nam, qui proxime ſcripſeram *graviora ſi qua ſunt*, ſuſpicari aliquando poteram, ſi in Dinellianam epiſtolam incidiſſem, graviſſime peccaſſe me, qui non *ſi quæ* ſcripſiſſem. Nunc, quum a te *graviora ſi quæ fuiſſent* reprehendi videam, nihil a me eſſe peccatum intelligo. Et ſane non aliter puer olim in gymnaſio doctus fueram. Sic enim nobis a presbytero quodam Martinio, quo primo latinæ linguæ elementorum magiſtro in Pratenſi ſocietatis Jeſu Collegio, decennis cum eſſem, uſus ſum, præcipiebatur. „*Aliquis*, *aliqua*, *aliquod* col *ſi* elegantemente ſi accorcia, e ſi dice, *Si quis*, *ſi qua*, *ſi quod* nel ſingolare, e nel plurale *ſi qui*, *ſi quæ*, *ſi qua*, in vece di *ſi aliqui*, ſi *aliquæ*, *ſi aliqua*. Ovidio. *Si qua meis fuerint, ut erunt, vitioſa libellis*. „ Bene ſit presbyteri Martinii manibus, qui me ea puerum docuit, quæ ſæpe viri ac ſenes turpiter ignorant.

Pag.

Pag. 17. Epiſt. Dinell. *Nam iſto modo facile poteris ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum querelas producere.*

Quo me vocas, Joannes Vincenti? Ab jucunda ultimæ pueritiæ meæ recordatione ad triſtem *exitus hujus univerſitatis rerum* memoriam vocas. quid flebiliter illa ingeminas ac prope auribus meis concinis: *Dies iræ, dies illa?* quid deinde riſu in ipſo fletu diſrumpi te dicis? An *univerſitatem rerum* pro *mundo* dici ridiculum eſt? non latinum, non etiam Ciceronianum eſt? An malles *uſque ad conſumationem ſæculi* dictum? an *uſque in ſæculum ſæculi?* an *per omnia ſæcula ſæculorum?* Non vides, quam hæc ab elegantia nitide ornateque ſcribentium abhorrerent? Immo hæc ipſa, inquis, abhorrentia, quam illud tam elegans, tam nitidum, tam ornatum, tam denique exquiſitum, ac plane hoc loco abſurdum, mallem. Cur? inquam; ſiquidem Ciceronianum eſſe non negas. Neſcio, inquis; niſi hoc ſcio, in Cicerone aptiſſimum eſſe, in Dinellio ineptiſſimum: idque, ſi meas aures, meumque latinitatis guſtum haberes, tutemet ipſe faterere. Nam, quæ ſingulis verbis cujuſque rei propriis, ad eamque veluti factis, ac nihilo minore ſignificandi vi, quam tranſlata, aut conjuncta, præditis, dici poſſunt, ea tranſlatis aut conjunctis, nulla neceſſitate cogente, efferre, id non Ciceronianum, ſed puerile eſt; puerorum eſt enim, ac plane rudium, nec quid ſit Ciceroniano more loqui ſuſpicantium, *amare* atque *odiſſe* vitare, *amore* autem *complecti* atque *odio proſequi*, & ejuſmodi oratio-

 nis

nis tamquam lemniſcos ac crepundia ſectari . Sit ita ſane , inquam .

Sed me magis tria illa movent , in ſententiamque tuam adducunt , quæ addidiſti , quamobrem totum hoc *poteris ad exitum hujus univerſitatis rerum querelas producere* repudiandum putes . primum , quod ais , ſtultiſſime hoc loco *querelarum* factam eſſe mentionem . præceſſerat enim *Neque ſatis eſt ad hanc minuendam opinionem alia multa habere te* (Noceti*) dicere , præter ea , quæ hoc* (tuo) *libello continentur , quæ contra* (Concinæ) *Chriſtianam Theologiam opponas* , continuoque illa , *nam iſto modo facile poteris .... quærelas producere* . Nocetium autem in illo ſuo libello dicere , *habere ſe alia multa* , quæ in aliis libellis ſuis contra Concinæ *opus* opponat , querelarum nihil , comminationis vero quiddam ſive continet ſive ſignificat : ut , ſi in aliis libellis idem dicere *ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum* perrexerit , non *querelas* ille , ſed minas ſit *ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum producturus* . Alterum ; quod nimiam ac ſane non ferendam poteſtatem Nocetio Dinellis tribuit , qui illum dicat arbitratu ſuo *POSSE ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum querelas producere* . Non enim *querelas poſſet* , niſi etiam vitam *produceret* : poterit autem , auctore Dinellio , *querelas* : *poterit* igitur etiam vitam *ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum producere* . O Nocetii vitam , non modo longævam , ſed ſempiternam , modo velit , futuram ! Sic enim exclamare cogor tertia tua eademque poſtrema in hunc ipſum locum animadverſio-

ne

ne admonitus. Nam vere *univerſitas hæc rerum* ſempiterna futura eſt; & jure miraris, tam inconſiderate hominem & theologum & *Cathedraticum* loquutum, ut *exitum* ac finem *hujus univerſitatis rerum* futurum dixerit. Quid enim? inquis: Ille omnium rerum opifex ac moderator Deus, miniſtri illi ejus cæleſtes ſpiritus, animi ipſi noſtri, noſtraque hæc corpora, cælum, terra, non omnia *ad hanc rerum univerſitatem* pertinent? nonne eadem in ſempiternum tempus, ſive qualia nunc ſunt, ſive aliqua ſui parte olim renovanda, durabunt? Quid igitur ad ejus rei exitum produci poteſt, cujus rei nullus exitus eſt umquam futurus? Hæc, inquam, ac præter cætera poſtremum hoc, valde me movent, ut omnino totum hunc *hujus rerum univerſitatis exitum* ejiciendum foras, & vel invitum ac repugnantem *exire* ex hoc epiſtolæ loco in tua iſta editione cogendum exiſtimem.

Pag. 19. Epiſt. Dinell. *Quod ipſum tamen utrum aliquando ab Auctore Chriſtianæ Theologiæ factum eſſet, deberet a te non longa & litigioſa, ſed clara perſpicuaque diſputatione demonſtrari.*

Nihil neceſſe eſſe puto illud *utrum* removeri, nec *an* aut *num* ſubdi, aut hoc aut aliis hujus epiſtolæ locis. etſi enim multo uſitatius ac pæne perpetuum eſt, ut non de uno, ſed de duobus, de quibus dubitatio eſt, *utrum* dicatur, eamque, ut tu veriſſime dicis, vim habet, quæ ineſt in hoc italico ſermone, *quale delle due coſe, ſe queſta o quella, ſe sì o nò*, ac propterea cum *an* ex altera parte,

 aut

aut *necne* fermé conjungitur; tamen non ignoras, ſolum aliquando a bonis latinitatis auctoribus fuiſſe in oratione poſitum. Mihi quidem magis diſplicet, non ita ſcriptum eſſe *quod ipſum tamen factum aliquando eſſe, deberet a te demonſtrari*, ac multo etiam magis diſplicet, longitudini *claritatem*, non brevitatem, litigioſis *perſpicua* opponi in illis *non LONGA & LITIGIOSA ſed CLARA PERSPICUAQUE diſputatione*, quam *utrum*, pro *an* aut *num*, adhibitum fuiſſe. Sed, niſi hæc leviora neglexerimus, & quærere de iis ac queri deſierimus, erunt, mihi crede, quæſtiones noſtræ ac querelæ *ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum producendæ*.

Pag. 20. Epiſt. Dinell. *Poſſes deinde, cum eum refellis, nihil aliud in ore habere*.

Leviuſculum hoc quoque; ſed tamen, ut tibi, ac mihi etiam, videtur, pro *refellis* reponendum eſt *refelleres*.

Pag. 24. Epiſt. Dinell. *Quæ Romam magno numero tui libelli allata ſunt exempla, nuſquam apparuerunt, omneſque unum aliquod eorum habere potuerunt, præter emptores*.

Verborum aliquid hoc loco, quo ſententia ſibi ipſa conſtet, omnino deſiderari tibi videri dicis. Negas enim, ſi Nocetiani *libelli magno numero Romam allata ſunt exempla*, &, ſi *omnes, præter eos, qui emere voluiſſent, eorum unum habere potuerunt*, negas, inquam, illud conſequi, quod Dinellius affirmat, ea exempla *nuſquam* Romæ *apparuiſſe*; ſed illud dumtaxat, apparuiſſe illa quidem Romæ, nec fuiſſe tamen cuiquam vendita, ſed omnibus dona-

donata : quod certe non eſt reprehendendum. Mihi quoque deeſſe heic aliquid videtur, ſed non verborum, at rationis.

Ib. Epiſt. Dinell. *Omnia donatum amicis, viriſque Principibus circumtuliſtis, addita voce: En veritatem vindicatam: en Concinæ fidem.*

Quiddam tu ex me hoc loco quæris, quod tamen, quamobrem quæras, non poſſum ſuſpicari. Nequaquam enim id ad inſtitutum tuum inquirendi in amici tui latinitatem pertinet; niſi quod in voce *circumtuliſtis* erratum putas; qui videas, inchoatum cum Nocetio epiſtolæ ſermonem repente ad plures perſonas, nuſquam nominatas aut indicatas, converti. Sed habet hoc amicus tuus, habent alii quidam, amici tui familiares, ut, quæ unius Jeſuitæ ſunt, ſi ea vel invidiam habent, vel ad invidiam conflandam detorqueri poſſunt, non illa uni, ſed pluribus, atque etiam univerſis Jeſuitis tribuant. Figuratæ hujus loquutionis, qua iſti plurimum delectantur, in quaque præcipuum orationis ornamentum conſtitutum putant, exempla ſcito eſſe innumerabilia. Unum modo, ex Dinellio tuo petitum, afferam, Is Enarrationum ſuarum ad Sermonem II. pagina 38. attulerat neſcio quid, nominatim ab Jeſuita Baeſa, minimi apud nos etiam pretii ſcriptore concionum, paullo glorioſius, &, mea quoque ſententia, frigidiuſcule atque inepte de Societate, ab Ignatio inſtituta, dictum. Putabam ego, Dinellium, quem videbam attuliſſe id, ne non Jeſuitæ alicui poſſet maledicere, ita concluſurum: *Vide,*

 quam

quam ſit Baeſa ineptus ſuæ Societatis laudator. Verum ille, ſchematus illius ſui atque ornatus memor ac retinentiſſimus, *Vide, quæſo*, inquit, *quam ne ſua quidem ſciant* (Jeſuitæ) *recte laudare, quam inſulſe aliena vituperent*. Similiter, non grammatico ullo mendo, ſed figura plane rhetorica dixiſſe eum, hoc ſuæ ad unum Nocetium epiſtolæ loco, *circumtuliſtis* pro *circumtuliſti*, putato.

Jam tibi de eo, quod ex me quæris (quamquam, quo quæſtio iſta tua pertineat, minime videam), quoniam ita vis, ſatisfaciam. *Amici* ac *viri principes*, quibus omnia Nocetiani libelli exempla *donatum circumlata* fuiſſe, Dinellius hoc loco commemorat, hi fuerunt, Benedictus XIV. Pont. Max. Eminentiſſimi S. R. E. Cardinales circiter decem, Ampliſſimi Romanæ Curiæ Præſules fere viginti, eximii Theologiæ, e ſacris præſertim Ordinibus, profeſſores fortaſſe triginta. Nomina non omnium mihi ſive nota ſunt, ſive ſuccurrunt. numerum ſingulorum generum dumtaxat ac ſummam ſcio. Sed, ſi nomina etiam cognoſci a me, tibique ſignificari volueris, utrumque, a te admonitus, facili negotio quamprimumque curabo. Quamobrem autem velle debeas, nondum equidem video.

Pag. 25. Epiſt. Dinell. *Alii cupidi, quid rei eſſet, cognoſcendi quæſitum ex bibliopolis de veritate vindicata, ſed nuſquam inveniebant*.

Mihi quoque hoc loco ſimiliter ac tibi tenebræ denſiſſimæ obortæ ſunt, nec, quo illud *quæſitum* referatur aut unde pendeat, poſſum videre. Tuum eſt, quid tibi faciendum ſit in eden-

edendo hoc loco, ſtatuere. Ego tibi quid conſilii dem neſcio, niſi illud, ut per litteras ipſum auctorem conſulas, rogeſque, ſuam ut tibi mentem ac ſententiam hujus loci, quem intelligi a ſecundæ tuæ editionis lectoribus non nolles, aperire ne gravetur. Credo, te illi, rem a ſe non iniquam poſtulare, viſum iri.

Ib. Epiſt. Dinell. *Si recte, ajebant, Veritas fuiſſet vindicata, haud dubie eorum, qui vindicarunt, pluris intereſſet, id a viris ſtudioſis, imprimiſque a Dominicanis, quam ab imperitis amiciſque cognoſci.*

Video, quid dicas, & ſane ita res eſt, ut dicis, illud *haud dubie*, pro *certe*, *profecto*, *ſine dubio*, vel etiam *procul dubio*, aut ejuſmodi aliquo, ſedem heic ſuam non habere: non enim umquam ad res referri, ſed ſemper ad perſonas revocari oportere; ac propterea cum iis verbis, quæ *imperſonalia* a Grammaticis appellantur, conjungi non poſſe; neque, ut recte diceretur Decius mortem *haud dubie* (hoc eſt, *haud dubitans*, *nihil hæſitans*, *ſine ulla dubitatione* aut *hæſitatione*) oppetiiſſe, ſic item recte dici, *haud dubie* (hoc eſt *certiſſime*) Decius mortem oppetiit. Vera ſunt iſta quidem; verum (quod in aliis ſæpe teſtificatus ſum) ita non vulgo animadverſa, itaque ab iis etiam, qui cum paucis latine ſcire exiſtimantur, neglecta, ut nemo futurus ſit, qui Dinellio tuo, ubi Ejus epiſtolam edideris, de *haud dubie* litem intentet. Quid ergo eſt? inquies: an, ne latinitatis quidem peritiſſimos animadverſuros, arbitraris? Non, inquam; nam hos ego ne lecturos quidem Dinellii epi-

ſtolam arbitror. Neque id tamen debet te ab ea edenda deterrere; nam illos eſſe admodum paucos, ſine dubio, atque etiam *haud dubie* noſti.

At vero, quod de *imperitis* in hoc ipſo Dinellianæ epiſtolæ loco a te animadverſum eſt, id valde in omnium oculos incurrit, omniumque animos offendit, & eſt omnino a te in nova editione occultandum. Quum enim in eadem hac ipſa pagina amicus tuus dixerit, omnia Nocetiani libelli exempla *amicis & principibus viris* fuiſſe donata, certe non poteſt ſine ipſorum *principum virorum* inſigni atque inaudita contumelia heic dicere, veritatis, quæ eo libello vindicari dicebatur, cognoſcendæ copiam ac facultatem *viris ſtudioſis, imprimiſque Dominicanis* potius quam *imperitis atque amicis* fieri oportuiſſe. quaſi, cum is libellus, præter Jeſuitarum *amicos*, *principibus* etiam illis *viris* datus eſt, non omnium mortalium ſapientiſſimis, ſed & non *ſtudioſis* & *imperitis viris* ſit datus. Hoc ego adeo non modo inconſiderate, ſed etiam admodum flagitioſe a Dinellio dictum puto, ut, ne in aliquam calamitatem miſer incurrat, non tam de hac ejus epiſtola iterum edenda cogitare debeas, quam curare, ut primæ editionis exempla jam vendita, rurſus ab ipſo rediman-tur, nondum vendita comprimantur, utraque autem ſine cunctatione incendantur. Tu hominem de tanto ſuo periculo admonere, ne, quæſo, cunctere. Magno enim malo poterit illi eſſe omnis cunctatio. Equidem nunc demum, quo ſciſcitatio illa tua de *principibus viris*

viris pertineret ; intellexi . Antea videbare mihi ſine cauſa ac pæne pueriliter eſſe curioſus .

Quod addis , te exiſtimare , ideo Nocetium nulla Concinæ & Dinellio Dominicanis illius ſui operis exempla *donatum circumtuliſſe* , quod ſibi perſuaderet , eos , cognitis etiam veritatis juſtiſſimis illis vindiciis , non acquieturos tamen , idque , quod re ipſa feciſſe videmus , facturos , ut uterque , edito ſub unius nomine aliquo libello , confidenter negaret , ſe quidquam veri in illo ipſo opere agnoviſſe : in eo tibi vehementer aſſentior .

Recte etiam videris mihi illud mirari , cur tam multas paginas in mera , ut ais , loquacitate conſumere ac plane perdere amicus tuus voluerit , antequam ad cauſam & controverſiæ cum Nocetio ſuæ caput ac ſummam veniret : neque immerito illum Martialis verbis ita compellas , *Jam dic , Poſthume , de tribus capellis* . Ille vero dicet ; & incipiet , ſi non in hac , in qua verſamur , epiſtolæ pagina 25. at in ſequentis calce , de ſex , non modo de tribus capellis dicere . Verum hæc tu omnia profecto vides , non ad epiſtolæ Dinellianæ verba , de quibus agendum nobis eſt , ſed ad ſententias , de quibus poſt verba acturi ſumus , pertinere . Ad verba igitur redeamus .

Pag. 31. Epiſt. Dinell. *Quorſum illam non præteriret ?*

Subtiliter tu heic , ac mea quidem ſententia etiam vere , diſputas , quamobrem non *quorſum* hoc loco , ſed *cur* , *quare* , *quam ob rem* , *quam ob cauſam* &c. dicendum fuiſſe videatur .

Pag.

Pag. 32. Epiſt. Dinell. *quem qui legit in hac Venetis editionibus*.

Parce, mi Joannes Vincenti, querelis. Non eſt hic amici tui, ſed typographi ſolœciſmus. Vidit, ante te, mendum Dinellius: vidit, & in libelli calce emendavit: *in hac Venetis*; corrige, *in his Venetis*, inquit. Atque hic unus totius operis error correctus conſpicitur. Si reliqui tam multi correcti eſſet, non auctoris, ſed impreſſorum putarentur. Itaque verendum erat, ne Joannis Laurentii Barbiellinii hæredes miſeri atque innocentes furti aliquando ac repetundarum arceſſerentur. Id illa tanta correctionum parſimonia Dinellius tuus cavit.

Pag. 33. Epiſt. Dinell. *tuum erat* (Noceti) *Tamburino gratulari*, *& gratias Concinæ referre*.

Putas, non ſatis intellexiſſe Dinellium latine quid ſit *gratias referre*, & pro *agere* ſcripſiſſe *referre*; & præterea *gratias*, pro *gratiam*, *referre* ſatis uſitate non dici. Neque ego aliter exiſtimo.

Ibid. Epiſt. Dinell. *Denique Concina, ut eſt homo horum theologorum opinionibus infeſtus, Tamburinum excuſat, quod ſcripſerit ante decretum Alexandri VII. ego non excuſo*.

An tu, heic inquis, mi Fr. Vincenti Maria, non es *homo horum theologorum opinionibus infeſtus*? cur igitur tu quoque Tamburinum non excuſas, ſiquidem ideo a concina excuſari eum dicis, quod *Concina eſt homo horum theologorum opinionibus infeſtus*? Egregie, inquam, Joannes Vincenti, diceres, ſi

loco

loco diceres. Hæc enim tam fœda arguendi inconſequentia, ut quiſquam ideo perſonas excuſare, ac non potius accuſare, dicatur, quia earum opinionibus ſit infeſtus, ad ſermonem latinum ac verba non pertinet. Nunc autem, ſi recte partitionem tuam meminiſti, de verbis, non de rebus, nobis agendum eſt.

Pag. 34. Epiſt. Dinell. *hoc opuſculum ſeorſim edendo*.

Habeo tibi gratiam, qui, quod olim didiceram, ſed, ut ſæpe in *hac univerſitate rerum* hominibus accidit, oblitus fueram, mihi in memoriam revocaris, non eſſe latinum vocabulum *ſeorſim*. Itaque bene repoſueris in nova editione *ſeorſum*, ſive *ſeorſus*, aut *ſeparatim*.

Ibid. Epiſt. Dinell. *Si Concina Retractationem illam prætermiſit, gratum habere .... debebas*.

Ego quoque typographo hoc eſſe aſſignandum, & non *gratum*, ſed *gratiam* auctorem ſcripſiſſe, ſuſpicor.

Pag. 36. Epiſt. Dinell. *quod dictum olim ab uno, factum nunc eſt ſermone tritum proverbium: „ Amicus Socrates, amicus Plato, amicus Ariſtoteles; ſed magis amica veritas. „*

Nihil tu hoc loco reprehendis. Dumtaxat, eruditionis tuæ cauſa, ſcire ex me te velle dicis, quinam fuerit ille *unus*, qui *olim* proverbium hoc, ab eruditiſſimo amico tuo recitatum, *dixerit*. Equidem neque ſcio, neque ſcire id quemquam puto; tantum ſcio, ipſum Ariſtotelem *olim dixiſſe*, ſcriptiſque hoc ſuis etſi non his plane verbis, prodidiſſe, *Amicus Plato, amicus Socrates: ſed, licet amici*

ci

ci ambo ſint ; ſanctum eſt veritatem ipſis anteponere. Verum is, quemadmodum intelligis, Platoni ac Socrati neque addidit, neque addere ſe quoque in illo dicto tertium potuit. Itaque credibile eſt, neminem *olim* id *dixiſſe*, quod *olim ab uno dictum* Dinellius tuus dicit; ſed ipſum Dinellium id *nunc* primum *dicere*, quod *olim ab uno dictum* affirmat. Gratulor tibi, qui amicum habeas non modo verborum artificem, verum etiam proverbiorum conditorem, ſed adeo modeſtum, ut ea non ſibi, ſed aliis, qui *olim* vixerint, tribui velit.

Pag. 37. Epiſt. Dinell. *Ut præcaveret, ne illorum auctoritate decepti in errorem inducantur; itaque ſibi & iis, quorum audiunt exomologeſim, detrimento atque exitio eſſent*.

Pro *prohibere*, ſive *impedire*, ne aliquid fiat, non dici latine *præcavere*, vere fortaſſe dicis; mutari autem oportere aut *inducantur* in *inducerentur*, aut *eſſent* in *ſint*, dicis certe veriſſime. At in vocabulo *exomologeſim* non recte videris mihi ſingularem amici tui latine ſcribendi elegantiam ac tamquam religionem agnoſcere, qui vulgo obvium, atque, ut ajunt, eccleſiaſticum *confeſſionis* nomen vitarit, ut exquiſitius ac tamquam eruditius adhiberet. Video equidem, ſpectaſſe id hominem, ſectatorem lautitiarum in ſcribendo ac pæne aucupem, quique ſibi tacitus in ſinu ſuo latinarum litterarum ſcientiæ atque elegantiæ fortaſſe plus tribuit, quam veritas & res ipſa atque hominum intelligentium acre judicium incurruptumque patiatur. Sed certe nemo eruditus,

ditus ; præter te ; umquam ſenſit , in latina ſcriptione dictiones non latinas eſſe admiſcendas , præſertim ubi latinæ non deſunt . Quid ? non latinum ac valde quidem latinum eſt verbum *confeſſio* ? non peregrinum , & certe non latinum , *exomologeſis* ? At minus obvium , magiſque eruditum hoc eſt (ita enim dixiſti) . Hoc tu mihi dices ? hoc ego dicenti tibi , vel etiam juranti , credam , ita ſentire te ? cujus latini ſermonis pleniſſimam cognitionem , atque uſum elegantiſſimum , vel in hiſce proximis tuis ad me litteris , vehementer admiratus ſum ? An , quæ magis obvia verba ſunt , ea aut latina non ſunt , aut minus latina minuſque erudita ſunt ? Id ſi ita eſt , aut non latine ego , aut minus latine atque erudite loquutus ſum , qui illa proxime dixerim , quæ non aliter latini olim infantes dixiſſent , *Hoc tu mihi dices ?* Atqui , eodem plane modo loquutum eſſe Ciceronem , ſcis . Audebimus , aut non latine aut minus latine minuſque erudite loquutum eſſe Ciceronem , dicere ? Obvia nempe quæque latina verba , ac tamquam humi jacentia , ſi latini ſermonis gnarus atque intelligens tamquam e terra ſuſtulerit , & apte ac loco in oratione ſua collocarit , ea demum & latina , & valde latina , & ſatis erudita habenda ſunt : contraque , minus obvia , & ab alienis linguis , quamtumvis eruditis , arceſſita , ea neque latina , neque erudita , ſed & barbara & inerudita ſunt . Neque tu , ut mihi quidem perſuadeo , aliter ſentis . Sed , vel amici tui eruditionem apud me venditare ,

re ,

re , vel , quid ego de hoc eruditionis novo genere ſentirem, explorare voluiſti. Quod ſi quis , Græculorum more , græcis aliquot vocabulis in latina oratione adhibendis , atque, ut ait Cicero , valde reprehendens, *inculcandis* , id aſſequi ſe poſſe conſideret , ut græcæ etiam linguæ ſciens atque peritus ab hominibus , ſaltem iis , qui ejus linguæ neque ſcientes neque periti ſunt , haberetur , is certe curare magnopere deberet , ut in græcis iiſdem vocabulis uſurpandis a recta græcorum ſcribendi ratione , quam orthographiam dicunt , ne diſcederet . Quod amicum tuum non caviſſe demiror , qui , quum ſexcenties in ſuis ad ſuos illos famoſos Sermones adnotationibus *Anonymi* hoc nomen uſurpet , ſemper per jotam , tertiam illius ſyllabam, numquam per ypſilon , effert. Atque hoc ipſo loco majorem fortaſſe græcæ eruditionis ſuæ ſuſpicionem Græculis afferre potuiſſet , ſi *exhomologeſim* , quemadmodum Latinis eſſe ſcribendum propter aſperum græci verbi ὁμολογεῖν ſpiritum docti plerique arbitrantur , potius , quam *exomologeſim* ſcripſiſſet . Verum ille adſpirationem *exomologeſi* , injuria (ſi quidem ei jure debebatur) ereptam , reſtituit liberaliter nobis in voce *inhurbanus* , quam in iiſdem ſermonum enarrationibus iſto ipſo Catulliani Arrii more plus vice ſimplici ſcripſit .

Pag. 40. Epiſt. Dinell. *Cum ne in cogitationem quidem cadat, eum qui* &c.

Aliquid *in cogitationem cadere*, pro *in mentem venire* , aut etiam *venire poſſe* , mihi

quo-

quoque valde abſurde videtur dici . Verumtamen & hoc, & hujus ſimilia, huic & ejus Similibus ſcriptoribus condonanda eſſe cenſeo. Quod ſi tamen huic loco aliquid curationis adhiberi oportere ſtatueris, cum deinde ad pag. 73. veneris, ubi leguntur illa *Cui cadere in cogitationem poſſet*, memineris, illi etiam loco aliquid tuæ medicinæ eſſe adhibendum.

Pag. 42. Epiſt. Dinell. *At debebat, inquies, lectum adire Sancheſium*.

Immo, inquis, debebat Sancheſius adire lectum, ſiquidem ſomno gravabatur. Ridicule tu quidem, inquam, ac ſalſe & hoc & alia multa. Ac profecto, quamquam videas quid amicus tuus dicere voluerit, nec quidquam contra grammaticorum leges dictum poſſis reprehendere, tamen non injuria totum hoc *lectum adire*, pro *legere*, ſive *ſe ad legendum conferre*, riſus tibi mirificos excitare dicis: quum præſertim tam ſæpe in hac amici tui epiſtola iteratum animadverteris. nam & pag. 44. *Suareſium*, inquit, *non ſolum LECTUM ADIVIT, ſed etiam ſtrenue defendit. at, quod velis, etiam Sancheſium ADIRE debuiſſe, nimis, mihi crede, durum eſt. Sequitur enim ex eo, cæteros quoſque eidem ADEUNDOS fuiſſe*. Et pag. 45. *Fac tamen LECTUM ADIRE debuiſſe, neque tamen ADIISSE Sancheſium*. Et pag. 47. *Velim attente legas, atque perſpicias, an dolere potueris, Concinam LECTUM non ADIISSE Sancheſium*. Et pag. 54. *Continuo LECTUM ADII*. Et pag. 65. *Univerſos, quos quiſque Caſuiſta lau-*

laudaret; *LECTUM ADIRE* &c. Rideas; per me licet, hoc tamquam multiplex lectiſternium, modo mihi, quod facis, aſſentiare, nihil in formula *lectum adire* ab amico tuo contra grammaticas leges eſſe peccatum. Id enim unum curandum eſt ſcilicet in hujuſmodi hominum ſcriptis.

Pag. 43. Epiſt. Dinell. *Cum diu ante Leandri Salmaticenſiumque Opera edita fuiſſe . . . perſpiceret.*

Heic vero non per jocum, ſed ſerio ac plane philoſophice a te res agitur. Ut definis! ut partiris! ut argumentaris! ut concludis! Numquam vidi, de Mundo & Cœlo ſubtilius atque ingenioſius philoſophos, quam te de vocula *diu*, quam negas recte tum hoc loco, tum pag. 92. pro *multo* uſurpari (idque mihi admodum probas) diſputare. Profecto vos grammatici, ſi modo veſtræ profeſſioni ſatisfacitis, veſtroque ipſorum nomini reſpondetis, præſtantius quoddam atque admirabilius doctorum genus eſtis, quam vulgo homines opinantur. Si, tamquam Phidias facultatem fingendi ſuam a formica aut muſca ad leonem aut elephantum converterit, ſic vos ingenia iſta veſtra ac diſſerendi ſubtilitatem a verborum ſignificationibus, proprietatibus, tranſlationibus, collocatione, ordine, modo, reliquiſque prope innumerabilibus, quæ illis accidunt, ad earum rerum, quæ & maxime & cæterarum artium propriæ exiſtimantur, tractationem diſputationemque tranſtuleritis, neceſſe eſt, vos illis ipſis, qui illas tenent ac profitentur,

tur ; pares aut etiam ſæpe ſuperiores inveniri . At vero philoſophos , mathematicos , theologos videmus , cum ſe aliquando ad veſtra conferre voluerunt , etſi illis neque ingenium neque plurimarum rerum cognitio defuit , pauciſſimos tamen doctorum judicio fuiſſe probatos ; immo ne ſibi quidem ipſos ſæpe ſatisfeciſſe ; qui illa ipſa ſua cogitata minus , quam ipſi vellent , dilucide atque perſpicue , inopia quadam orationis , & artificii iſtius veſtri ignoratione , declarata a ſe eſſe intelligerent . Vos certe , quam res ſæpe graves atque a vulgari ſenſu abhorrentes , ſi ab imperitis veſtræ artis , quantumvis autem ſuarum rerum maximarumque artium gnaris peritiſſimiſque , tractentur , gravitatem ipſam ſuam atque præſtantiam amittant , videtis : iidemque rebus exiguis ac ſæpe minimis , ſi eas tractare cœperitis , dignitatem neſcio quam atque ſplendorem veſtris iſtis , quorum & copia abundatis , & uſum , quod caput eſt , ex arte veſtra calletis , dumtaxat verbis affertis . Nos vero veſtra cum legimus , cum nihil in iis deſideramus , tum quales , ſi ad alia , quæ vulgo majora putantur , tractanda aggrederemini , quamque admirandi eſſetis , plane perſpicimus . At quidam non admirantur . Immo , ſi verum quærimus , non admirari ſe ſimulant ; namque eoſdem conſtat & ad iſta veſtra adſpirare , & , quod eadem diu multumque conati non aſſequi poſſe ſe videant , intimis ſenſibus diſcruciari , ac vobis etiam peſſime , quamquam tacitos ac diſſimulantes , invidere . Quin etiam , quum in illis

ab ipſa uſque pueritia elaborarint, ſeſeque omne ætatis ſuæ tempus latina aut legendo aut ſcribendo exercuerint, nec tamen videant, ea, quæ ſcripſerint, digna eſſe, quæ legantur, longiſſimeque ab ea, quæ in veſtris ſcriptis apparet, perfectione abeſſe ſentiant non ſuæ ipſorum, ut neceſſe erat, tarditati, ſed arti ipſi iraſcuntur; quam levem & puerilem, non bene de ea ſe exiſtimare videri volentes, per ludibrium appellant: æſopiæ illius vulpeculæ perſimiles, quæ acerbam eſſe illam e ſumma vite pendentem uvam calumniabatur, ad quam, valde illam quidem maturam atque edulem, pertingere nimirum ipſa non poſſet. Neque animadvertunt, ſibi ipſos ſuæque in illa ipſa contumelioſa appellatione dignitati detrahere ac derogare, qui levem & puerilem eam artem eſſe dicant, quam graves ipſi ſcilicet viri, ac ſæpe ſenes, multum experti atque conati, nondum diſcere potuerunt. Nam, ſi expertos ſe negant atque conatos, profecto neque de re, a ſe, qualis ac quanta ſit, ignorata, judicare poſſunt, & ſe præterea optimæ liberaliſque inſtitutionis atque humanitatis fuiſſe ſemper expertes ſua illa profeſſione confitentur. Irati autem arti, artificibus etiam ſuccenſent, in voſque ſtomachum ſuum omnem erumpunt. Grammaticos vos ac pædagogos appellant, ſatiſque maledixiſſe ſe vobis arbitrantur, ſi ita appellarint: quaſi veſtra culpa ſit eorum infantia, ſive potius ſtultitia atque ſtupiditas incredibilis; qui quidem ne maledicere quidem vobis poſſunt, quin aut men-

daces

daces deprehendantur, aut veſtræ etiam laudi in ipſo maledicto ſuffragentur. Nam, cum *pædagogos* dicunt, ſane mentiuntur; iſtiuſque ipſius veſtræ artis, in quam invadunt, inſcitia, quid *Pædagogus* latine valeat, ignorantes, munus inſtituendorum bonis atque urbanis moribus puerorum (quod neque veram reprehenſionem habet, & eſt tamen longiſſime a veſtra profeſſione disjunctum) vobis attribuunt. Cum vero etiam *Grammaticos* dicunt, in eo vobis, cum vituperare vos volunt, præconium ſane graviſſimum tribuunt. Neque enim puto voluiſſe Ciceronem T. Pomponio Attico, homini doctiſſimo ſibique amiciſſimo, maledicere, cum illa ad eum lib. VII. epiſtol. 3. ſcriberet: *Sed, quoniam GRAMMATICUS es, ſi hoc mihi ζήτημα perſolveris, magna me moleſtia liberaris*. Qui quidem Cicero, & quam multi ex omni memoria iſtius veſtræ artis ſtudio ſeſe dediderint, & quam ea longe lateque pateat, lib. I. *de Oratore* cap. 10. luculenter oſtendit. *Quis muſicis*, inquit, *quis huic ſtudio, quod profitentur ii, qui Grammatici vocantur, penitus ſe dedidit, quin omnem illarum artium PÆNE INFINITAM VIM ET MATERIAM ſcientia & cognitione comprehenderit?* ut omnino, Grammaticum dici quempiam tam procul a probro abſit, quam probroſum non eſt, ſed maxime gloriandum, unius alicujus artis *pæne infinitam vim & materiam* ſcientia & cognitione comprehendiſſe. Quod iſti, qui vos Grammaticos irrident, ſi vel in ludicra ac joculari arte, nec tam ad omnes liberales diſcipli-

 nas,

nas, cum percipiendas tum pertractandas, utili ac neceſſaria, aſſequerentur, næ illi vobis, qui recte judicare ſoletis, ac propterea etiam Critici proprio quodam ac veſtro nomine appellamini, non irridendi, ſed admirandi viderentur. *Grammaticorum* certe *nomen*, ut Ludovici Viveſii, Valentinorum doctiſſimi, verbis utar; *priſci affectarunt complures, ob judicandi auctoritatem, a qua Critici ſunt dicti. Nec ætate noſtra defuerunt doctiſſimi, qui ornari ſe appellatione ejuſmodi arbitrati ſunt. Inter quos Angelus Politianus, & Antonius Nebriſſenſis Hiſpanus; qui, pro varia & late patenti eruditione, quum eſſet diligenter in omni Scriptorum genere verſatus, potuiſſet quodcumque nomen uſurpare, non ſolum cum bona profeſſorum ejuſce artis venia, ſed cum magna etiam lætitia, quod non parum gloriæ acceſſurum exiſtimaſſent. Nihil tamen dici & haberi maluit, quam Grammaticus. Nec Pius II. Pontifex Urbis Romæ nomen ejuſmodi abhorruit*. Ac Politiani quidem, a Viveſio laudati, verba ſunt in præfatione *in priora Ariſtotelis analitica*, quam *Lamiam* inſcripſit, hujuſmodi: *Nec enim aliud Grammaticus græce quam latine Litteratus . . . . . Commentarios jandiu (quod ſine arrogantia dictum videri velim) ſimul in jus ipſum civile, ſimul in Medicinæ autores parturio, & quidem multis vigiliis; nec aliud inde mihi nomen poſtulo, quam Grammatici*.

Hæc ego omnia, tibi, Joannes Vincenti, certe notiſſima, perſequi tamen pluribus fortaſſe verbis, quam epiſtolæ hujus meæ ratio

atque inſtitutum poſtulabat ; de grammaticæ artis præſtantia volui , ut , quum mihi quoque nota eſſe intelligeres , minime vulgarem , quinimmo ſummam atque mirificam meam de te , quem tantopere in eadem videam excellere , tuaque dignitate eſſe opinionem tibi plane perſuaderes ; nec dubitares ſæpe mihi aliquid tuæ in iſto genere ſcientiæ atque eruditionis impertiri , quem tantum & tibi & tuis iſtis judicio meo tribuere videres . Neque illud non etiam volui ; nimirum conſiderare te , num recte Dinellius amicus tuus aliquibus tuis litteris tibi admonendus eſſet , ut , quandoquidem Alvari , quem tu tanti facis , & recentiorum Grammaticorum principem appellare ſoles , veræ latinitatis , rectæque proſodiæ præcepta in ſuis ipſe tum oratoriis , tum poeticis ſcriptis ferme negligit , neque ea ad ſe , aliam neſcio quam latine ac verſibus ſcribendi rationem , quam quæ vulgo nota atque recepta eſt , ſequutum , pertinere arbitratur , at ſaltem cautius atque modeſtius , quam ſolitus eſt , de tam excellenti præceptore & loquatur & ſcribat . Sed jam ad penſum revertar meum .

Ib. Epiſt. Dinell. *An in ſuſpicionem illi cadere poterat , eam opinionem non docuiſſe Sanchesium ?*

Acute heic quoque tuo more vides , & ſubtiliter diſputas ; atque ita plane eſt , ut dicis . Pro *an ille ſuſpicari poterat* , latinum non eſt , *an illi cadere in ſuſpicionem poterat* , dici . *Cadere* enim *in ſuſpicionem* latine non eſt *ſuſpicari* , ſed *eſſe ſuſpectum* : ac per-

 ſo-

ſonæ , non res ; *in ſuſpicionem cadere* dicuntur . Itaque ſine dubitatione correxeris .

Pag. 44. Epiſt. Dinell. *Atque omnino intollerabile* .

Quaſi verſus heic Dinellius ſcriberet , ita ſerio hoc loco neſcio quem lambdaciſmum reprehendis . Scit certe amicus tuus , verbi *tolerare* priorem ſyllabam a poetis corripi ; verum idem , poetam ſe in ſua epiſtola non agere , non neſcit . Mitte hæc , quæ nihili , mihi crede , ſunt .

Ib. Epiſt. Dinell. *Sequitur enim ex eo , ceteros quoſque , quos ſane non antecellit Sancheſius , eidem adeundos fuiſſe* .

An hoc eſſe aliquid arbitraris ? non item omittendum fuit ? de mendis etiam typographicis me conſulere voluiſti ? Sive *quoque* pro *quoſque* repoſueris , ſive etiam *quoſque* intactum reliqueris , nihil aut audacter feceris , aut negligenter prætermiſeris .

Pag. 47. Epiſt. Dinell. *His tu quidem ſatis defenſum eſſe Sancheſium , convictumque Concinam impoſturæ arbitrare , ſed vehementer fallere* . . . .

Si diceres , non uſitate dici *fallere* pro *falleris* , aſſentirer . Quod autem latine dici neges , non poſſum non diſſentire . Admiror tamen grammaticæ artis *vim* illam & *materiam , pæne* , ut Ciceronem paullo ante dicentem audiebamus , *infinitam* : quum vos quoque , qui in ea excellere ac tamquam regnare exiſtimamini , aliquid aliquando ejus ipſius artis fugiat . Sed certe latine ſcribebat ad Ciceronem Lucejus , cum illa ſcribebat : Lib. V. ad Famil. epiſt.

epiſt. 16. *Doleo, quia doles & angere*. Si pro *angeris* latine dixit *angere* Lucejus, cur non *fallere* pro *falleris* latine poſſit dicere Dinellius? Nec, quod inuſitatum tamen ſit, putes id tibi ſatis juſtam cauſam, cur illud removeas, eſſe debere. Nam, non niſi quia inuſitatum erat, Dinellius adamavit, uſitatoque *falleris* prætulit. Is enim (quod & in hac epiſtola, & in ſermonibus illis ſalitis ſuis atque enarrationibus ſæpiſſime animadverti) inuſitatis mirifice delectatur; putatque, inter orationis ornamenta, quæ Figuræ appellantur, *Inuſitata* etiam a probabiliſta Pomeo, niſi ſi forte fallitur, recenſeri.

Pag. 52. Epiſt. Dinell. *Ceterum ſi bona fide (liceat etiam mihi ſemel & iterum hoc verbum uſurpare) uti voluiſſes* (mi Noceti), *non erat opus magna attentione, ut intelligeres* &c.

Licet etiam mihi, mi Joannes Vincenti, ſemel aut iterum, aliquid, a te in hac Dinellii epiſtola præteritum, animadvertere: nulla enim tua in hunc ipſum locum animadverſio eſt. An tu, quoniam Dinellianos ſales paullo ante diligenter te docui, nullum heic ſal Dinellianum agnoſcis? An, Nocetium dici *bona fide uti noluiſſe*, non tibi e Dinellianorum ſalium genere videtur? Atqui, uſurum ſe ſalibus in hac epiſtola, Dinellius negarat. Uſus eſt tamen; ſed, vere ut dicam, cum parciſſime, tum vero etiam clementer, nec ſine quadam tamquam acrimoniæ mitigatione. Nam & Nocetium blandiſſime ſæpe *ſuum* dixit (*mi Noceti*), & poetæ illi nomen atque etiam theologi (veruntamen non Cathedratici) nequa-

 quam

quam invidit. Quin hoc ipſo loco ita *malæ fidei* Nocetium accuſat, ut excuſari ſe velit ac poſtulet, ſi paullo familiarius cum eo, deque eo, contraque eum ſemel & iterum agat. *Liceat*, inquit, *mihi ſemel & iterum hoc verbum MALÆ FIDEI, certe valde latinum, neque obſcænum, tecum, de te, contra te, quæſo te, mi Noceti, uſurpare*.

Videtur interea mihi iſte tuus Patris Concinæ illius ſui valde bonus eſſe diſcipulus, & magiſtri ſui non modo ſales, verum etiam condiendi rationem atque artificium perbene didiciſſe. Ille enim ſingulari illi Viro Scipioni Maffejo libro ſuo quodam ſic omnium ſalium genere latine maledixit, ut hominem humaniſſimum mitiſſimumque coegerit, non dicam totidem neque tantis ſalibus, ſed certe non inſulſe, his ipſis ferme diebus, italice reſpondere. Eſt in meis manibus Maffeji liber, inſcriptus *De' Teatri antichi, e moderni*, Veronæ apud Auguſtinum Garattonium hoc ipſo anno 1753. impreſſus. Pagina hujus libri ſeptuageſimaprima refert Maffejus quædam de ſe valde honorifice a P. Concina in illo ipſo opere ſcripta, in quo tam multa contra eumdem ſe contumelioſiſſime jactata ſunt: tum his verbis rem totam concludit: *Come mai parlari coſì oppoſti poſſono uſcire nell' iſteſſo tempo da mente ſana?.. Sia detto ſenza offeſa. è venuto in mente a molti l' uſo di Pulcinella, il quale dà una gran baſtonata, poi fa una riverenza; indi un' altra baſtonata, e di nuovo una riverenza*. Habeat ſane ſibi Sannio Conciniana hæc ac Dinelliana obſequia. Obſequium

neque

neque Maffejus, neque Nocetius volunt, fuſte inſequente comitatum. Ac mihi quidem uterque in eo ſapere, tibi certe, puto, non deſipere videtur. Sin aliter ſentis, ſcribes tuo commodo ad me, quamobrem aliter ſentias. Ego ad animadverſiones tuas revertar.

Pag. 60. Epiſt. Dinell. *Nunc paucis te* (mi Noceti) *volo, vindicem veritatis. Quid hoc loco ſententiæ Tamburini reſtituis? quid illi fuit a Concina detractum? Nam & Tamburini periculoſa, & Concinæ valde ſana, propiorque ad veritatem mihi videtur eſſe ſententia.*

Quid mirum, inquiet fortaſſe Nocetius, *paucis volenti* ſe paucis reſpondens, ſi ſana tibi videtur Concinæ eſſe ſententia? Non enim res illi umquam cum Sannione fuit. Si Sannionis experta eſſet obſequia, mihi crede vindici veritatis, ſana tibi, mi Dinelli, non videretur.

Sed ego ridiculus, vel potius Sannio, qui tibi, mi Ioannes Vincenti, homini ſeveriſſimo atque graviſſimo, riſus intempeſtivos elicere conor. Serio igitur propoſitam rem agamus. Solœciſmum videri tibi ais committi in illis *propiorque ad veritatem eſſe*. Quid mihi? Dicam, mi Joannes Vincenti, ſine cunctatione tibi, vindici latinitatis, atque indici ſolœciſmorum: *Idem videtur mihi*. Habes ſententiam meam. Nam de correctione nihil eſt, quod adjiciam, quum recte tibi videatur aut *eſſe* mutari oportere in *accedere*, tumque non *propiorque*, ſed *propiuſque* dici, aut *ad* e medio tollendum, dicendumque aut *veritatem* aut *veritati*.

Pag.

Pag. 66. Epiſt. Dinell. *Illud igitur reſtabat, ut lectores admoneret; non eſſe Caſuiſtis, cum laudant Theologos, adhibendam fidem.*

Quid tu heic Alvari fidem advocas, teſtificantis, *adhibere fidem alicui* Latinis oratoribus non ſignificare *credere alicui*, ſed *uti fide erga aliquem;* credere autem alicui, non *adhibere*, ſed *habere fidem alicui* iiſdem dici? An hæc putas curare Dinellium, aut umquam Alvaro dicto audientem illum futurum? An oblitus es capitales hominis cum Alvaro inimicitias, propter illam de Probabiliſmo Probabilioriſmoque controverſiam, ſuſceptas? Fidem, mihi crede, Alvari, adverſarii ſui, teſtificationi *ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum* Dinellius non habebit. Emendato tu tamen audacter hunc locum, & alterum illum pag. 88. *indignum eſſe hominem, cui fides adhibeatur;* Et tertium pag. 90. *oſtendamque negantine tibi* (mi Noceti), *an Concinæ adfirmanti fides adhibenda ſit;* quin etiam quartum pag. 21. quem ſane miror a te fuiſſe prætеritum (bis enim in eo uno ſimiliter peccatum eſt) *Non eſſe Henrico a S. Ignatio adhibendam fidem: quominus eum, qui id inculcat, credibile ſit, aliquando adhibuiſſe:* emendato, inquam, audacter hos locos, ſed ita, ut nullo umquam tempore reſciat amicus tuus, id te, Alvari auctoritate ſive admonitione commotum, feciſſe. *Intellextin?* Niſi hoc caveris, non amicitiorem tibi amicum tuum editione tua iſta Lucenſi, ſed inimiciſſimum, idque fortaſſe *ad exitum uſque hujus univerſitatis rerum*, quod omen ſuperi avertant, effeceris.

Pag.

Pag. 73. Epiſt. Dinell. *Neque tamen præ ſe quicquam gereret , quod cum dictis aperte pugnaret* .

Animadvertis, opinor, multa, a te in proxime ſuperioribus itemque in remotioribus Dinellianæ epiſtolæ paginis reprehenſa, a me in his litteris eſſe præterita; nullamque de iis eſſe factam mentionem vides. Cur? quæris. Reprehenſiones nimirum illæ tuæ ita in ſubtili verborum proprietatis atque elegantiæ perveſtigatione verſantur, ut magis ad erudiendum me, quam ad amici tui epiſtolam emendandam, a te tam accurate diligenterque ſcriptæ videantur. Hoc quoque hujus loci, quod negas, latine dici *præ ſe gerere*, ac *præ ſe ferre* dicendum eſſe contendis, pæne præterieram. non quod aliter mihi videatur; ſed quia, ſi hæc perſequi velimus, nullus erit eorum perſequendorum finis futurus; neque heic lima opus eſt, ſed dolabra.

Pag. 74. Epiſt. Dinell. *a Sacramento pænitentiæ arceret ſeſe*.

Quæris heic ex me, an ullum habeam ſatis bonum auctorem; qui *arcere ſe*, pro *continere ſe* aut *abſtinere* adhibuerit. Ego vero, itemque Dinellius, ſatis ac valde quidem bonum habemus (atque utinam tam bonus, quam ille fuit, uterque noſtrum eſſet! eſſemus enim optimi, atque adeo ſanctiſſimi), Thomam Aquinatem. Is autem in 4. ſent. diſt. 16. quæſt. 4. art. 2. quæſt. 2. *Unde*, inquit, *tali inſpectione omnes ſe arcere deberent*. Putabas ne, Cathedraticum amicum tuum, *munere*, ut ipſe ait pag. 14. *veſperi fungentem in bibliothe-*

ca

ca Caſanatenſi ſummam theologicam D. Thomæ interpretandi, id neſcire potuiſſe?

Pag. 78. Epiſt. Dinell. *Si ulla ſin minus firma, at ſaltem probabili ratione inductus.*

Non *ſin minus*, ſed *ſi minus* dicendum hoc loco fuiſſe, non modo tu, ſed omnes, qui latine ſciunt, primo ſtatim adſpectu vident. Sed media, quæ inter hanc pag. 78. & pag. 89. intercedunt, ſane omittamus. omnes enim animadverſiones in eas tuæ verſantur in eo genere, de quo ſupra dixi, quodque eſt a nobis in hujuſmodi hominum ſcriptis plane negligendum. Hiſce ſubtilitatibus miſſis, aliqua vaſtiora, atque, ut ita dicam, craſſioris fili pinguioriſque Minervæ videamus, quale illud eſt, a te animadverſum, & longa oratione ſive declamatione potius reprehenſum atque exagitatum

Pag. 90. Epiſt. Dinell. *Quod ad nos attinet, confido fore, tibi meum conſilium probatum iri.*

Hoc nempe eſt aliquid, quale dicebam, vaſtum, craſſum, pingue. Hic eſt implexus atque inextricabilis tamquam *nodus*, plane *te vindice dignus*. Gordium hunc nodum novus Alexander non ſolvito, ſed cædito, nec gladio, in cædendo, ſed bipenni aut ſecuri utitor. Corrige, corrige, inquam, in nova editione ita, ut ais, *confido fore, ut tibi meum conſilium probetur*, aut unico ictu *fore* illud abſcindito.

Ib. Epiſt. Dinell. *Concinam, graviſſimum doctiſſimumque Virum, Chriſtianæque Religionis ſtudioſiſſimum, eique imprimis utilem.*

Non equidem putaram, adeo te parum fa-

vere

vere Concinæ ; quippe homini ; Dinellii ; amici tui , amiciſſimo . Sed certe nulla lex amicitiæ eſt , quæ jubeat , aut amicos eſſe nos amicorum noſtrorum amicis , aut inimicos eorumdem inimicis . Tu vero moderate , ut te dignum eſt , non acerbe atque impotenter , inimicitiam iſtam tuam exerces ; nec videtur mihi tam odium iſtud tuum , quam hominis quidam contemtus . Mihi quidem riſum valde movit ridiculum illud in hoc loco tuum , ſtomachoſum , & quaſi ſubmoroſum , ſic , ut cachinnum legens ſuſtulerim . *Videtur mihi* , inquis , *multo graviſſimos atque turpiſſimos Fr. Vincentius Maria meus Solæciſmos feciſſe , qui quidem ne in nova mea editione compareant , omni mihi erit animi adverſione providendum* . *Concinam graviſſimum ! Concinam doctiſſimum ! Concinam Chriſtianæ Religionis ſtudioſiſſimum ! Concinam Chriſtianæ Religioni imprimis utilem ! An non in quattuor affirmationibus his totidem ſolæciſmi , iique ex peſſimo vitioſiſſimoque ſolæciſmorum genere , inſunt ? Etſi enim ſubſtantivum cum adjectivo nomine & genere , & numero , & caſu , minime tamen , quod mendoſiſſimum eſt , re & veritate concordat* . Salſe tu quidem : negare non poſſum . Sed tamen , quoniam Sermones non ſcribebas , adhibere te hujuſmodi ſales in epiſtola tua non oportuit , Dinelliani illius pagina 12. pronunciati memor . *Sermones ſalibus carere non poſſunt ; in epiſtolis ſalibus opus non eſt* . Verum , *ut tandem amoto quæramus ſeria ludo* , vehementer tibi , mi Joannes Vincenti , auctor ſum , ut totam lauda-

tio-

tionem Concinæ illam ab editione tua removeas, non quod ego *graviſſimo* illi *doctiſſimoque viro, Chriſtianæque Religionis ſtudioſiſſimo, eique imprimis utili*, non mirifice faveam; aut, ſi etiam (*Dj meliora piis, erroremque hoſtibus iſtum*) non faverem, quidquam *graviſſimi* illius *doctiſſimique Viri* &c. &c. exiſtimationi, Dinellii prædicatione acceſſurum exiſtimarem: verum ita equidem ſentio, ſi cum laudatione illa Dinellianus iſte, a te correctus, libellus prodierit, minus eum vulgo placiturum, immo pleroſque eruditorum ab eo emendo, non ſine magna tua editoris jactura, fore deterrendos. Neque enim ignoras, Scipionis Maffeji in univerſa non modo Italia, verum etiam Europa, quantum ſit nomen, quam clara auctoritas, quam multa quamque illuſtris gratia; ut certatim homines (præter admodum paucos, eoſque obſcuriſſimos, invidos & obtrectatores, quibus excellens virtus carere non poteſt) homini & ſtudeant, & faveant, & plaudant, & obſequantur. Et merito. Nam, qui omnibus in omni litteratura omni monimentorum genere profuit ac prodeſt, ei omne omnium & ſtudium, & favor, & plauſus, & obſequium jure debetur. Is igitur tantus vir, tam doctus, tam ſpectatus, tam omnibus carus, tam vulgo gratioſus, de Concina, *graviſſimo* illo *doctiſſimoque Viro* &c. &c. tecum ſentit, & longe aliter, atque ego & Dinellius, exiſtimat, &, quod maxime tibi conſiderandum eſt, non modo Inſubriam, ſed univerſam etiam Italiam in ſuam tuamque ſententiam adduxit libro illo ſuo, quem tibi ſu-

pra

pra ſignificavi , cum de Sannionis obſequiis agerem : ex quo libro , immo ex tertio ac quarto libri dumtaxat capite , ne ſim infinitus , ſelectos quoſdam locos heic tibi ſubjiciam , ut intelligas , quam longe ille , cum illoque tota hæc pæne *univerſitas rerum* abeat a mea ac Dinellii de Concina *graviſſimo doctiſſimoque viro* &c. &c. ſententia . Pagina igitur capitis tertii nona & quadrageſima , *Al bellicoſo* , inquit , *Spirito del P. Concina* (graviſſimi illius ſcilicet doctiſſimique Viri &c. &c.) *non è mai ſtato poſſibile di ſcrivere ſenza far battaglie ; nè ſi è veduto egli mai promuovere il bene , ſenza nell' iſteſſo tempo a molti , o almeno ad alquanti far male . Queſta volta ha preſo acerbamente a perſeguitare chi ſi ſarebbe aſpettato in tal materia tutt' altro ; e ciò con tanto maggior baldanza , quanto che trattandoſi di perſona iſolata , e che non è di neſſun corpo e di neſſuna colleganza , ha creduto di poter trionfare a man ſalva , e di formarne alla ſua gloriola uno ſtrepitoſo trofeo . Deſiderabil ſarebbe , che giungeſſe a ſua notizia la maraviglia , che il comune degli Vomini , e de' buoni Religioſi in particolare , di queſto ſuo procedere ha preſo . . . . . L' imputato a torto* (Scipio ipſe Maffejus) *è ſtato qualche tempo in dubbio , ſe prendeſſe a difenderſi o no . Stava per il no l' uſo ſuo più frequente , in virtù del quale nè pure a tre altri non piccoli , e parimente ſanguinoſi libri , dal medeſimo* (graviſſimo illo doctiſſimoque viro &c. &c.) *contra di lui dati fuori , ha riſpoſto parola . . . Forti ragioni hanno con tutto ciò perſuaſo in queſta occaſione*

il

il contrario, e fra l' altre quella, di non pregiudicare alla coſcienza di queſto buon (at in hoc ſaltem mecum, cum Dinellioque, non tecum, Maffejus ſentit, quod bonitatem graviſſimo illi doctiſſimoque Viro &c. &c. tribuit) *Padre, con occultargli il debito indiſpenſabile, che ora egli ha di render la fama* . . . *Da queſto debito non ſolamente non aſſolve la Moral ſevera, ch' ei profeſſa, ma niuna ſi troverà così rilaſſata che non l' ingiunga* (heic vero aliter, puto, Dinellius ſentit, non ego) . . . . *Con qual coſcienza queſto Scrittore* (graviſſimus doctiſſimuſque vir, chriſtianæque Religionis ſtudioſiſſimus &c.) *tai falſità divulga? Credeſi egli eſente da quelle leggi di Criſtiana morale, che ſono agli altri preſcritte?* (quî poteſt vir Chriſtianæ Religionis ſtudioſiſſimus, eique imprimis utilis?) . . . . *Quanto a torto e quanto fuori d' ogni ragione, d' ogni Criſtiana legge, d' ogni civiltà, d' ogni umanità divulghi queſto Padre* (Vir ille &c. &c. &c. &c.) *e falſiſſimamente faccia credere a tutto il mondo* . . . . *Gran diſgrazia di queſto Scrittore ſi è, che frà tutte le imputazioni da lui penſate una ſola non ſe ne trovi, che non ſia falſiſſima* . . . . *Se più fuor di propoſito* (*perdoniſi in grazia*) *ſia poſſibile di penſare e di favellare, per verità non ſaprei* . . . . *Raccogliendo tutto inſieme, veggaſi in grazia, ſe falſità più ſpacciate poteano inventarſi* . . . *Pieno di contradizioni è egli ſteſſo da un Capo all' altro* . . . *Il dono del contradirſi pochi ſcrittori troverai, che l' abbiano in grado uguale. Egli profeſſa alle volte morale così delicata e gelo-*

gèloſa ; che afferma eſſer peccato l' odorare per ſolo piacere una roſa, o l' aſcoltar muſica. altre volte è coſi libero e franco; che ha per nulla il diſonorar con le ſtampe il ſuo preſſimo.

Intellextin, mi Joannes Vincenti? An poſſunt magis hæc Maffeji cum mea Dinelliique de *graviſſimo* illo *doctiſſimoque Viro*, *Chriſtianæque Religionis ſtudioſiſſimo*, *eique imprimis utili*, ſententia pugnare, quam pugnant? Donum illud, Concinæ gratis, ut Cathedratici loquuntur, datum, &, ut Maffejus affirmat, Concinæ proprium, cum pauciſſimiſque, *quos æquus amavit Jupiter*, commune, ſibi ut ipſe tertio quove verbo contradicat, ſuaque ipſius dicta mirabili felicitate retexat, num tibi non ipſi Maffejo quadam ex parte (nempe, non ut ſibi, ſed ut mihi Dinellioque de *graviſſimo doctiſſimoque* &c. &c. *Viro* contradiceret, noſtraque dicta noſtramque hominis laudationem contraria, &, quod nunc demum intelligo, veriſſima oratione refelleret) eſſe conceſſum videtur? Quin audi, mi Joannes Vincenti, Maffejum non jam mihi, qui cœpi jam tecum, cum illoque ſentire, ſed uni Dinellio, & ſi qui cum eo ſentiunt, quos eſſe pauciſſimos conſtat, contradicere pergentem, atque etiam maxime ſalutaria Concinæ ſuadentem. Pagina enim ſeptima & ſeptuageſima, *A lui* (graviſſimo doctiſſimoque viro &c. &c.) *dunque*, inquit, *come caſo di Coſcienza propongaſi* (quod idem ſi tu quoque, mi Joannes Vincenti, quum ad Dinellium amicum tuum de ſermonibus illis ſuis, ac ſalibus aliquando ſcripſeris, illi propoſueris, rem, mihi crede,

F admo-

admodum piam, & Chriſtiano homine valde dignam, eidemque maxime atque unice ſalutarem, feceris). *Se ſi poſſa ſenza peccato graviſſimo parlar e ſcriver così del ſuo proſſimo, e coſa ſi ricerchi, perchè tal peccato nel libro di Dio ſi cancelli. Non ſi dimentichi di quanto nella ſua Theologia Criſtiana* (T. IV. pag. 617.) *ha inſegnato. „ Proximus diffamatur falſum ei crimen imponendo: quæ detractionis ſpecies omnium graviſſima eſt, vocaturque Calumnia. Secundo frater* (atque etiam Pater, Patreſque) *injuſte traducitur, dum illius peccatum augetur. Nam augmentum iſtud Calumnia eſt. „ .... Giova credere, che i ſuoi traſporti, da' quali ben veggiamo come la veſte non ſalva e non aſſicura, di un ingannato e furibondo zelo ſien parti* &c. Denique *graviſſimi doctiſſimique viri* puerilem credulitatem, ridiculaſque lucubrantium anicularum fabellas ab eo traditas, & gravium doctorumque hominum de *graviſſimo doctiſſimoque viro* juſtiſſimos maximeque debitos ea cauſa riſus commemorat. *Per ora*, inquit pagina ejuſdem capitis quarti prima & octogeſima, *ci rimetteremo .... con ciò che inſegna nella ſua Theologia* (T. III. pag. 82.) *dove tratta* de Lamiis, ſagis & ſtrigibus, *le quali afferma, che* puerorum ſanguinem ſugunt, *e che della lor carne fanno decotti, e vanno con eſſi al* Lago Orſino, *e ſono* Dæmonum pellices & concubinæ, *facendo con eſſi impudicizie orribili. di che ſi vale per iſtillare abborrimento alle donne. Le follie, dall' ultimo volgo idiota immaginate, in quel capo ſi rappreſentano. Per lo che è ſtato con ragione deriſo*
dall'

dall' erudito Signor Tartarotti nella ſua Apologia . &c.

Non eſt igitur dubitandum , quin adjectiva quattuor illa nomina *graviſſimum* , *doctiſſimum* , *ſtudioſiſſimum* , *utilem* , in quibus totidem ſolœciſmos committi , propter incredibilem cum ſubſtantivo *Concinam* , non verbi , ſed rei ac veritatis , diſcordiam , & tu falſe vereque dixiſti , & nemo non facile animadvertit , ex editione iſta tua debeas omnino removere ; ſi libellum a Maffejo , a Tartarottio , ab Inſubribus , a reliquis Italis (qui certe Maffejo potius , quem Italorum eruditorum principem atque Alpha , quam Dinellio , quem eorumdem ne poſtremum quidem atque Omega poſſumus , pace tua dixerim , dicere , credituri ſunt) probari atque expeti vis . Mihi quidem perſuaſiſſimum eſt , ne Dinellium quidem ipſum ſatis *confidere* , niſi ita feceris , libellum ſecundæ editionis iſtum ſuum *fore probatum* iri , ſive , ut *Alvari longa tædia edocti* loquuntur , fore , ut libelllus iſte ſuus probetur .

Ib. Epiſt. Dinell. *Decet enim , eum , qui veritatem ex animo quærit , utrum in ſuis , vel in Extraneis reperiatur , utrum ab ſe , vel ab aliis proponatur , parvi referre* .

De duplici illo *vel* , valde imperite pro *an* poſito , jam tibi ſupra aſſenſus ſum . De *referre* autem , quod multo imperitius pro *ducere* , *æſtimare* , *pendere* &c. ponitur , poſſum ego non heic tibi etiam aſſentiri ? Nam quis puerulus , *vix* Alvari *longa tædia* , ſive *tædia* , ut Dinellio tuo placet , *edoctus* , igno-

 rat ,

rat, quemadmodum recte imperſonaliter (ſic enim Grammatici loquuntur) dicitur *Parvi hoc refert*, non item recte *Parvi hoc ego refero*, perſonaliter dici?

Pag. 92. Epiſt. Dinell. *Si forte ſemel & iterum, atque etiam tertio & quarto lapſus eſſet* (Concina) : *quod ſane in ſcriptore duodecim ſpiſſorum Voluminum mirum non eſſet; cum neque novum, neque inauditum eſt, errare aliquando Theologos*.

Non item hoc loco aſſentior tibi monenti, *ſpinoſorum* heic, ſive *ſpurcorum*, aut etiam Siſenniano verbo, quod magis, quia minus uſitatum, Dinellio arrideret, *ſputatilicorum*, pro *ſpiſſorum*, eſſe emendandum : non, inquam, tibi aſſentior : niſi ſi forte in *graviſſimum doctiſſimumque* illum *virum*, duodecim voluminum ſcriptorem, jocari, quod certe credo, voluiſti. Sed vide, ne Dinellium, amicum tuum, offendas, qui non *parvi* illa ipſa volumina *refert*, ſive, ut vulgo dicimus, *facit*: qui quidem hominibus, qui in *hac rerum univerſitate* verſantur, quique ad *exitum uſque* ejuſdem *univerſitatis rerum* verſaturi ſunt, ita neceſſaria duodecim illa volumina eſſe ac fore exiſtimat, ut ea negligenter potius, cumque multorum injuria ac querela ab auctore ſuo ſcribi, quam omnino non ſcribi, oportuiſſe contendat. Ait enim, cum Concina de falſis praviſque opinionibus plurimos graviſſimoſque theologos in illis voluminibus accuſaret, nihil neceſſe fuiſſe, eum ipſorum theologorum libros ſemper inſpicere, ſivé *lectum adire*; ſed aliorum, qui illis eas opiniones ad-

ſcrip-

ſcripſiſſent ; fide nixum ; nec aliud præterea quidquam curantem, accuſationem ſuam inſtituere, reoſque illos agere potuiſſe. Nam, ſi illud feciſſet, *Præter quam quod*, inquit pag. 43. *inanem & non neceſſarium laborem ſuſcepiſſet, ne decem quidem annorum ſpatio unum volumen Theologiæ confeciſſet*. quaſi numerarentur volumina, non penderentur; neque multo homines mallent, unum bonum decem annorum ſpatio, quam uno anno decem aut etiam duodecim tam mala volumina ab eo fuiſſe confecta. Sed de amico tuo, tam impenſe voluminibus illis, non *ſpinoſis*, ut tibi videtur, non *ſpurcis*, non *ſputatilicis*, ſed *ſpiſſis*, favente, non offendendo tu videris. Quod vero negas, ſatis ab eo in hoc epiſtolæ loco adverbii illius *dum* proprietatem latinamque vim fuiſſe perceptam, veriſſime negas; pro eoque rectiſſime mihi vel *quum*, vel *quoniam*, vel *ſiquidem* repoſiturus videris.

Atque hæc fere de verbis. Nunc de ſententiis, a te in Dinelliana epiſtola animadverſis atque reprehenſis, mihi quid videatur, quemadmodum initio propoſueram, deinceps dicendum eſſet. Sed, quum octo jam dies hanc meam epiſtolam in manibus habuerim, verearque, ne, ſi totidem aut fortaſſe etiam plures retineam ac veluti comprimam, tu deſiderare officium meum, meque negligentiæ ac ceſſationis, quaſi ruſticis in hoc tuſculano receſſu oblectationibus nimio opere deditum, tecum ipſe accuſare incipias, ad te nunc hanc tamquam priorem illius partem, etſi valde properanter ſcriptam, proptereaque retractationis

certe alicùjus, meo etiam judicio, indigentem, mitto; alteram & longiorem & accuratiorem, tantoque graviorem, quanto verba rebus leviora ſunt, primo quoque tempore miſſurus. Facio contra quam Dinellius, a te initio tuarum Animadverſionum reprehenſus, fecit; qui, quum unam ad Nocetium epiſtolam daret, *epiſtolas* ſe dare in fronte libelli profeſſus eſt. Ego, quum ad te epiſtolam dem, non modo non *epiſtolas*, ſed ne *epiſtolam* quidem, verum *epiſtolæ dimidium*, me dare profiteor. In quo me a te non ſimiliter reprehenſum iri confido, qui tibi, tamquam debitæ pecuniæ, ſi non ſolidam, at, quam potuerim, ſummam repræſentarim. Vale. E Tuſculano idib. Octobr. An. CIↃ. IↃ. CC. LIII.

Pæne oblitus fueram Dinellianorum ſalium libellum; quem parum abfuit, quin, complicata ac jam jam obſignata epiſtola, jacentem in pluteo, inter magnam chartarum ſcriptorumque farraginem, aliter ac tibi me facturum promiſeram, reliquerim. Mitto igitur eum tibi cum ipſa epiſtola conjunctum. Iterum Vale.

IN-

INCIPIUNT DINELLIANI EX ENARRATIONIBUS IN SERMONEM I. SELECTI SALES.

NON NISI LIBERALES TAMEN, QUORUMQUE ILLUM ALIQUANDO PUDERE NON POSSIT.

Pag. 13. *Vir de morum diſciplina optime meritus* (P. Fr. Daniel Concina) *nonnullis jam adverſus quorundam theologorum, Caſuiſtas quos vocant, opinandi licentiam ſcriptis erudite voluminibus. Horum poſtremum .... idemque præſtantiſſimum eſt illud, cui titulus, = Iſtoria del Probabiliſmo, e Rigoriſmo &c. = Quo in opere illud imprimis optimo conſilio ſibi ſumſit, ut quam fluxa ſit probabiliſtica philoſofandi ratio, quam multa lateant in ſcriptionibus* (ſic) *illorum theologorum fœda illa quidem atque indigna cum theologi gravitate, tum ſanctitate chriſtiana, quam denique ineptis ſubtilitatibus obvolverint etiam confixas ab Eccleſia propoſitiones, patefaceret. Verum, ut nihil eſt tam ſanctum, pioque conſilio ſuſceptum, quod pravorum hominum maledictis & reprehenſionibus non ſit obnoxium, inventus eſt quidam Anonimus* (ſic) (P. Jacobus Sanvitalius Soc. Jeſu, Parmenſis, de quo Cl. V. Scipio Maffejus in obſervationibus litterariis T. I. Artic. X. „ Della bontà di vita, inquit, del P. Jacopo Sanvitali Geſuita, e della ſua irreprenſibil Morale non ſi può favellare, finch' egli è vi-

vo. La ſua Famiglia riſplende in Parma con gran diſtinzione, ed è in Italia ben nota. „ Sed ne de Dinellii quidem ac Concinæ vitæ bonitate, & irreprehenſibili morum diſciplina, eorumque illuſtriſſimis, totaque Italia notiſſimis familiis dici quidquam poteſt. an ideo, quod uterque adhuc in vivis agat? an aliam ob cauſam?) *qui, quod ita mediocrium Caſuiſtarum inſcitiæ conſultum eſſet, ægre ferens, theologos illos dignos habuit, quos defenderet eo libello, cui titulus: Giuſtificazione di più perſonaggi* &c.

P. 14. *Mirum vero, quam numquam toto libello non aberret a propoſito .... Nam Jeſuitas videri quum velit defendere ... eorum laudes unde unde compilat homo plane Jeſuita, res bene geſtas ſatis liberaliter amplificat ... Sanctos neſcio quos puncto temporis creat, denique ... modo in Gallias, in Germaniam modo lectores mittit (ego Gallos & Germanos in Italiam, cum iis Italos in Sinas) ut quod ibi de Jeſuitis agatur, certiores fiant:* &c.

Pag. 15. *Ad Jeſuitas quod attinet, laudet ... quam poteſt maxime Anonimus* (ſic). *non invideo Jeſuitæ iſtuc qualecumque ſolatium: ſintque iidem probabiliſtæ, anne* (ſic) *ſint, non me valde ſollicitum habet, ex eo præſertim, quod ex ipſis, licet tres quatuorve negent, ſexcenti affirmant. VAPULENT tamen UNIVERSI, quando ita ad fallendum placuit Anonimo* (ſic), *ſub Sanchez, Launio, Tamburino, & Buſſembau* &c.

Pag. 16. *Fieri non potuit, quin Chriſtianæ vitæ conſuetudinem plurimum inficerent opinio-*

num

num pravitate docti juniores, quibus illud ferme unum erat propoſitum, ut non monendo & caſtigando, ſed ut licentius opinando tollerent peccata mundi. Idque ut Anonimus (ſic) *aperte intelligeret, plane efficerem, ſi* &c.

Pag. 17. *Hunc* (Terillum) *Anonimus* (ſic) *ante caſtigare, & reum Majeſtatis agere debuerat, quam in P. Concinam, honeſtum imprimis & veracem Probabiliſtarum accuſatorem, peſtiferam linguam exerceret. Quid enim, quæſo, peccavit P. Concina? quid non peccavit Terillus?* &c.

Pag. 18. *Laudes atque encomia, quibus docti juniores Probabilitatis commentum exornarunt, ſeſeque ad cœlum uſque non ceſſant efferre, ea ſunt & tam multa, ut . . . non dubitem, viſum iri incredibile, eo deſipere potuiſſe homines ratione utentes, ſibique tantopere plaudere de tam fluxa morum regula, tamque perverſa philoſophandi ratione* &c.

Pag. 19. *Credo equidem, Probabiliſtarum eam eſſe potentiam, ut multos flere faciant, non hercle tamen in hoc mundo.* &c.

Pag. 20. *Jurgantur* (PP. Terillus & Segnerus) *de re non intellecta* (ideſt, de Probabiliſmo), *ſecum ipſi pugnant, petitione, ut ajunt, principii quarto quoque verbo laborant . . . Nunquam mea mihi mens tam vilis erit, ut ad probabiliſticam rationem recte intelligendam egere me putem Terillorum, Bauniorum, Dicaſtillorum, qui otio & litteris abutentes ingentia volumina conſcripſerunt, ut tricis & nugis obvolverent iſtuc dormitantis theologi commentum* &c.

Pag. 21. *Abſunt tamen omnes* (hac noſtra ætate doctiſſimi) *a Probabiliſtarum inſania quam longiſſime . . . Ex quo pervaſit omnem Dei legem probabiliſtica lues , nihil videtur eſſe reliquum , unde intelligant Probabiliſtæ , qui ſit arcta via Cæli , & ſanctior chriſti Religio , niſi eam conferant cum Alcorano , aliiſque ſectis impuriſſimis , adducantque virginem honeſtiſſimam in cætum meretricum* &c.

Pag. 22. *O digniſſimam probabiliſtica conſcientia argumentationem* ! &c.

Pag. 25. *Laudaviſſe fertur opus Leſſii de Juſtitia & Jure S. Franciſcus Saleſius , ſed cum non pauca etiam , quæ eo volumine continentur , chriſtianæ pietati minime conſentanea , approbaviſſe , nemo dixerit* &c.

Pag. 28. *Ipſi autem* (Jeſuitæ) *emergunt inſolentius , & perſtrepunt cum Terillis , Segneris , & Bauniis , quorum doctrina , ſapientiaque regi debere buccinant univerſum orbem* . &c.

Pag. 29. *Neſcio quid ſibi velint Jeſuitæ , quum optimum quemque , Probabiliſtarum ſectæ repugnantem , putant ſe ſatis digna animadverſione caſtigaſſe , quum dixerint : Paſchalem lectitat , Paſchalem trivit . . . . Eorum* (Jeſuitarum) *pace dixerim , non longe abſunt* (iidem Jeſuitæ) *a ſtultitia : quaſi vero nulli ſit in literas & ſtudia , niſi ut eorum* (Jeſuitarum) *libido poſtulat , incumbendum* . &c.

Pag. 31. *At quouſque tandem abutemini* (o Jeſuitæ) *patientia noſtra ? quem tandem ad finem ſeſe jactabit tam inſulſa criminatio ? Vos , qui Janſeniſtis longe pluribus orbem impleſtis , quam Janſenius ipſe ſuo Auguſtino* . &c. &c. &c.

Pag:

Pag. 33. *Quam ſæpe vos (*o Jeſuitæ *) veſtri amor exire facit de poteſtate , de conſilio , de mente !* &c.

Pag. 34. *Jeſuitæ veriti non ſunt hanc Nobilium inſaniam fovere . . . . Manifeſta cuique ſunt prava dogmata atque intollerabiles (* ſic *) corruptelæ , quibus redundant (* theologorum Jeſuitarum volumina). &c.

Pag. 35. *Ego manibus Sanchez bene precor : de iis tamen quid factum ſit , viderit Deus .* &c.

Pag. 36. *Ne tamen eam horum libellorum poluviem , quam augent in dies Ignatiani , magiſque ut augeant , optare ſe ait Anonimus (* ſic *), probem atque ſuſcipiam , deterreor ſane ex eo , quod cum in aliis ſcientiis , tum in hac plane divina , dum nova quæque homines conſectantur , ſæpiſſime , miſſis frugibus , glande veſcuntur .* &c.

Pag. 40. *Sed legatur prior hiſtoriæ diſſertatio , ubi P. Concina erudite tractat de peccato philoſophico , quod PP. Martinonio , Molinæ , Arriagæ , Beonio , aliiſque non paucis , ſi ſuperis placet , optimis theologis , acceptum ferimus .* &c.

Pag. 41. *At qui poſſunt , per Deum , tam aperte mentiri ?*

Pag. 42. *Hæc eſt vervex illa atque omnis expers diſciplinæ Caſuiſtarum plebs , quæ ſolet ab Alvaro & Pomeo in Sanchez & Buſſembaum inſilire , poſthabitiſque æqui bonique principiis , noctes dieſque Conſcientiæ , ut ajunt , caſibus , quos confingit ſæpe ridiculos , nunquam non inutiles , enodandis impalleſcere . Qualem novi , ita deſcribo . Sed de illius inſcitia , atque etiam*

iam petulantia , non tam multa dici poſſunt , quin plura dicenda ſuperſint ; Vide adnotationem num. 23. Ab hac vero ne ſemidocta quidem Caſuiſtarum turba magni fieri Buſſembaum , Dianam , Tamburinum , alioſque ſimiles , nemo ſanus ægre tulerit . &c.

Pag. 43. *Duo Græculorum principes , quorum tamen nomina pro tota verſificatorum atque oratorum Jeſuitica intemperie heic uſurpantur .* &c.

Pag. 44. *Vah inſcitiam Caſuitarum , atque inſignem temeritatem , quæ ſectam inſtaurat in Eccleſia Romana longe deteriorem , quam quæ olim exorta eſt inter Anabaptiſtas .* &c.

Pag. 45. *Gratulor magnopere Anonimo* (ſic) *quod magnus ſit , ut ſæpe jactitat , apud Jeſuitas Oratorum proventus ; neque defuturi ſint propterea , qui Patri Concinæ reſpondeant . Gratulor , inquam ; at vereor , ne ſint idonei oratores huic muneri . . . Multa huc ſpectantia tradunt erudite Aniceti Nemeſii Dialogi duo italice ſcripti . Quando tamen Pater Concina id aſſequitur , ut niteſcat morum doctrina , & Probabiliſtæ miſerabiliter ingemiſcant , ſatis videtur habere ſucci & eloquentiæ , atque unus poſſe decertare cum iſtis Oratoribus . Cetera Phædrus lib. I. fab.* 11.

EX-

EXPLICIUNT DINELLIANI EX ENARRATIONIBUS IN SERMONEM I. SELECTI SALES, *NON NISI LIBERALES* TAMEN, *QUORUMQUE* ILLUM *ALIQUANDO PUDERE NON POSSIT*.

INCIPIUNT DINELLIANI EX ENARRATIONIBUS IN SERMONEM II. SELECTI SALES, *NON NISI LIBERALES* TAMEN, *QUORUMQUE* ILLUM *ALIQUANDO PUDERE NON POSSIT*.

Pag. 15. *Verumtamen, quoniam eas* (querelas) *regerit identidem ignaviſſima Caſuitarum turba, quæ miſere conficitur, cum quidquam prodiiſſe intelligit, quod eam non ſinit Probabiliſmo atque inſcitiæ ſuæ indormire, propterea* &c. .... *Quam immerito tamen nihil ferant atrocius Probabiliſtæ, quam ſcribendi rationem hilarem, & ſalibus reſperſam intelliges omnino* &c.

Pag. 17. *Ut dictitant Probabiliſtæ maledicendi ſtudio . . . Ita paſſim appellant plebejorum theologorum multitudinem: immo vero Anonimus* (ſic) *eorum faſtos promittit* &c.

Pag. 18. *Gliſcit medius fidius vehementius, quam ſolet, iracundia, nec ferre poſſum pacato animo fallendi libidinem importuniſſimam.*

Vide

Vide quam ſis ineptus ... At quando ſanus eſſe non potes ... *Perge itaque collaudare Probabiliſtas, efferre Tuos, umbratili neſcio qua excellentia eorum prolaptiones* (ſic) *velle contegere, exhibe horum theologorum res geſtas, & vitam innocenter actam. Nam ſtatim, Auguſtino, Carolo, Thoma, Antonino ex ara, ut de priſcis quibuſque jam fieri ſuevit, deturbatis, ſufficiemus hæc lumina ſanctitatis, & robora reipublicæ Chriſtianæ Dianam, Baunium, Sanchez, Buſſembaum, qui morum opiniones tempori maturandas relinquebant, qui molles Sacerdotes ad Sacrorum confectionem impellebant, qui divites erga pauperes liberales eſſe non debere gaudebant .... Quid eſt Anonime?* (ſic) *Num conturbo te? num implico? num obſto conſiliis tuis? Ne dubites, eſt evadendi via. Quum de theologis veſtris ſupra S. Thomam atque Auguſtinum efferendis cogitatis, ſanctitas nihil intereſt ad veritatem; at, quum de eorundem flagitioſa doctrina reſpondere non poteſtis, maxime intereſt.* &c.

Pag. 19. *At, quando erit, ut pudeat tam perverſe omnia ad voluntatem, nibil ad veritatem pronunciare?* &c.

Pag. 20. *Secerne theologos, Anonime,* (ſic) *& noli ſcriptorum genus, cummaximæ præclarum, Bauniorum, & Tamburinorum ſocietate dehoneſtare.* &c.

Pag. 21. *Intelligis, Anonime?* (ſic) *Non Parthi, vel Hæbrei, ſed Catholici, iique Literati de infandorum dogmatum inaudita abſurditate heic accuſantur. Accuſantur, inquam, illi Probabiliſte, quibus ipſe ... tam magnifice*

gra-

gratularis : . . . *Quum præ manibus habeo, oculiſque ſubjecta Probabiliſtarum volumina, non me miſeret mortuorum, ſed maxime vivorum, quos decipi atque errare pati non debemus. Quum vero de mortuis cogito, puto, pleroſque Probabiliſtas, quoniam accuſante Eccleſia, prorſus excuſare non audeo, ſalutem, ſi pœnituere, adeptos eſſe ſic tamen quaſi per ignem*. &c.

Pag. 22. *Plerique* (Probabiliſtæ) *nullum extare a reliquis ſejunctum, ſed totam Dei dilectionem ceterorum præceptorum cuſtodia, in eoque, quod Deum odio non habeamus, contineri adfirmarunt, ſimiles omnino latronum* &c.

Pag. 23. *Hic eſt longe turpiſſimus Philoſophiſmi error, in quo verſati ſunt Arriaga, Molina, Martinonus, Rodes, Platelius, aliique bene multi*. &c.

Pag. 25. *Ut paucis multa dicam: quæ auctoritas valuit apud Probabiliſtas? Antiquorum patrum? Hanc repudiarunt. Quæ conſenſio theologorum? eorum, qui ſaniora docebant? Iſtos Janſeniſtas appellabant*. &c.

Pag. 26. *Quivis intelligit, nihil fuiſſe reliquum, quod rationis loco afferret* (Probabiliſtarum pars longe maxima), *quam proprii ingenii ſubtilitates quaſdam, & argutiolas leves, ridiculas, ſejunctas, & ſæpe nihil ad rem, quæ de agebant pertinentes; quæ mirifice imponunt parum acutæ Caſuiſtarum turbæ. Ne dubites tamen, Anonime* (ſic), *forte Probabiliſtas non ante deſinam ſermonibus inſectari, quam eorum irrideam multa cum voluptate in rationibus argumentiſque conquirendis incredibilem ſtupiditatem* . . . . *Placet, definiente Wolſio, ingenium*

ap-

appellare vim; qua rerum inter ſe ſimilitudines perſpicimus . . . . Atqui probabiliſtæ, dum in argumento, quod vocant a ſimili, verſantur, aliiſque ſimilitudinibus utuntur, inſulſi ſunt ac plane ridiculi. igitur ingenio minime valuerunt. Propoſitionem, quæ media eſt, probant Probabiliſtarum volumina fere omnia, atque imprimis Epiſtolæ Segnero adſcriptæ. &c.

Pag. 28. *Invideamus* (Jeſuitis) *glorioſiſſimos Tamburinos, ſanctiſſimos Sanchez, delicatiſſimos Eſcobarios.* &c.

Pag. 29. *Quid eſt, quod integram ſocietatem opponunt, dum paucos Probabiliſtas oppugnamus? Ego vero tam non vereor paucos, quam univerſos inſectari, quando ita ſit eorum impudentia, ut paucis infenſi omnes lædere videamur . . . Nolumus dumtaxat pati, ruere populum Chriſtianum in maximas fraudes, quarum pleniſſimi ſunt Probabiliſtæ . . . . Mirum profecto eſt, quam ſemper deſipiant Probabiliſtæ . . . An vero licet illis, ut populum Chriſtianum decipiant, uti italico ſermone; nobis non licet, ut errore liberemus?*

Pag. 30. *Lapbiteau* (Epiſcopus Siſtaricenſis) *hiſtoriam conſcripſit Bullæ Unigenitus, in qua leviſſimis ſuſpicionibus optimos quoſque crudeliſſime ferit. Nam quid eſt; ſi non hæc calumnia eſt? . . . . Pater Fabri, qui in Apologia pro Jeſuitis Probabiliſtarum cauſam agens, facetus quandoque eſſe voluit, revera tamen illiberalibus jocis inſultat adverſariis ſuis.*

Pag. 31. *Pater Viva, malus interpres Theſium damnatarum, quarum, omiſſis, quos præ oculis habebat, non incertis auctoribus, numquam non ſuffi-*

ſufficit Thomiſtas ; vel parum intellectos , vel male depravatos . . . . Paſchalis Epiſtola 12: *cum feſtive tum acriter inſectatur Vaſqueſii opinionem de eleemoſina* (ſic) &c.

Pag. 33. *Quod latinius a ſuis tractatam fuiſſe , ereptamque e ſitu & ſquallore ſanctiſſimam theologorum facultatem jactaverint cum Raynaudo . . . Non valde commoveor . Illud miror , quod etiamnum eam ſe laudem putent eſſe adeptos , aliiſque religioſis familiis barbariem audeant exprobrare hi ludi magiſtri , qui poſtea etiam quam ætatem in ſcholis grammaticorum conſumſerunt , id judicio doctiſſimorum hominum non ſunt aſſecuti , ut ſemilatinis ſcriptoribus latiniores , paucis , qui vere latini ſunt , pares haberentur .* &c.

Pag. 34. *Iſta Grammaticorum ludibria . At ſileant aliquando , vel talia jactent in cellulis ſuis .* &c.

Pag. 35. *Ii ſunt* (doctrinarum fures) , *qui Sanchez , Dianam , Baunium , Tamburinum compilantes de caſibus , ut ajunt , reſervatis , de Cenſuris , de contractibus , aliiſve Moralis Theologiæ partibus breviores Tractatus , Summas , Medullas evulgant , quibus putidiora quæque , quæ magnis illis voluminibus continentur , magis magiſque in lucem adducunt , atque in vulgi oculis pene defigunt . Ex hujuſmodi plerumque officinis mittuntur Paſtores in parœcias ad erudiendum Dei populum , quibus magiſtris haud ſcio an audiens eſſe queat Pauli dicto ad Philippenſes* 4. &c.

Pag. 37. *Si cui viderer* (ineptus) , *æquum eſſet , ut ignoſceret ille mihi , culpamque omnem tranſ-*

transferret in Probabiliſtas, quorum ineptiæ tam multæ ſunt, ut adverſariis quoque ſuis nonnihil impertiant. Legito itaque, ſi lubet, Vincentii Baronii libros apologeticos adverſus Theophilum Rainaudum . . . . Opinionem, qua de loquor, paulo obſceniorem, legere poteris apud Tamburinum libro 7. in Decal. cap. 3. §. 5. &c.

Pag. 39. *Deſipere Probabiliſtas non dubitabam, ſed eo, ut talia effutire non erubeſcerent, ne jurato quidem teſti credidiſſem . . . . Quem* (Sanchez) *ſi reprehendas, quod de Matrimonio ſcripſerit non ſatis ille quidem honeſte, atque ut theologum chriſtianum decet, reponunt, fuiſſe caſtiſſimum*. &c.

Pag. 40. *Jam parum abeſt, quin totum ſe Mundus Janſeniſtam eſſe miretur. Janſeniſtæ ſunt, qui Patres nominant. Janſeniſtæ ſunt, qui probabiliora ſectantur. Janſeniſtæ ſunt, quibus Molina non placet. Quid ni etiam, quibus ne Alvarus quidem, & Pomeus? . . . . Ipſi, quod ſcelus atrociſſimum, cujus nemo teſtis, nemo conſcius nominatur, ſed totum profertur ex officina plena libidinis atque obtrectationis, optimo cuique adfigunt, faciunt Relligione* (ſic) *, ſeque putant bene de Eccleſia mereri, quod morum corruptelis, nugiſque Molinæ nihil aliud obtendant, quam odium adverſus Janſeniſtas*. &c.

Pag. 43. *Et vero, ſi tu Anonime* (ſic) *, ex iis jocis, quibus cum Hiſtoria tum aliæ Patris Concinæ lucubrationes reſperſæ ſunt, potis es unum aliquem oſtendere illiberalem, flagitioſum, obſcenum contra Probabiliſtas, Nunc tibi promitto nunquam componere verſus*. &c.

Pag. 45. *O præclaros Janſeniſtarum Oſores! o ſce-*

o ſedi Apoſtolicæ pectora devotiſſima! Suſcipe, Anonime (ſic), *ſi potis es, ad punctum temporis ſenſum ſobrii hominis, &, quandoquidem tantopere ſollicitum te habent facta mortuorum Probabiliſtarum, rogari patiare, quæ tu ſperes futura vivorum, qui audent tam obſtinate, tam contumelioſe pro impudicitia & blaſphemia pugnare*. &c.

Pag. 46. *Et quando erit ut abeant in malam rem malumque cruciatum Mimi iſti dementiſſimi, qui optimo judicio confixi loqui neſciunt, & tacere non poſſunt. Hæc ego obiter. Nam fortaſſe longe plura Pater Concina*. &c.

Pag. 47. *Di male! Recipio, me curaturum, ſi vultis, ut typis edantur tam pretioſa Monumenta. Spero enim fore, ut multum a vulgatis non differant, mihique uberiorem miniſtrent dicendi copiam. Neque enim in hoc etiam puto vos eſſe Probabiliſtas, ut meliores lucubrationes domi continentes, malas edere velitis*. &c.

Operis Clauſula.

Pag. 48. *Super vos flete* (o Jeſuitæ), *& ſuper fratres veſtros Confuſianos, Malabaricos, Probabiliſtas, Mamillares*.

EXPLICIUNT DINELLIANI EX ENARRATIONIBUS IN SERMONEM II. SELECTI SALES, *NON NISI LIBERALES* TAMEN, *QUORUMQUE* ILLUM *ALIQUANDO PUDERE NON POSSIT*.

F I N I S.

Pag.	Verſ.	ERRATA	CORRIGE
5	penult.	Dinelii	Dinellii
6	penult.	ſicuti	ſicubi
8	2	poſtentati	poſteritati
10	22	Ridicolum	Ridiculum
11	2	*Vindicate*	*Vindicata*
	28	*ſemper que*	*ſemperque*
		pramendo	*premendo*
	35	ellib-	lib-
12	13	prefigi	præfigi
14	11	Pag.92. Rom. edit. apud fratres Palearinios anno 1753.	*Hæc in marginem rejicienda ſunt.*
16	9	I. de Orat. c. 159.	
18	3ult.	*ſchola*	SCHOLÆ
19	4ult.	ſancius	Sancius
20	3	triginia	triginta
	12	Epiſtpla	Epiſtola
21	2	*ſalis*	*ſatis*
23	5	monogramma,	monogramma;
	7ult.	*obrem*	*ob rem*
25	18	*Manopere*	*Magnopere*
	24	*cogroſcere*	*cognoſcere*
26	14	*incectus*	*incertus*
	21	*landis*	*laudis*
27	9	*inepte*	*inepte &c.*
29	8	equidem	equidem.
	ult.	*debitaveris*	*dubitaveris*
31	5	dici,	dici)
	9	doctrinæ	doctrina
	12	abeſſe	abeſſe.
	ult.	Cicero Famil. lib. VII. ep. 32.	*Hæc quoque in marginem rejiciantur.*
32	9	numeret	numerat
	9ult.	*Munimentis*	MUNIMENTIS
33	3	*tœdia.*	*tœdia,*
34	1	liqidam	liquidam
	6	*Cathedra*	*Cathêdra*
		generales	*a regulis generalibus*
40	19	*es?*	*es!*
	25	aliquod	aliquot

Pag.

Pag.	Verſ.	ERRATA	CORRIGE
	33	*Sal.*	*Sal*
41	2	*ſpem:*	*ſpem*
43	4	Dinellianuum	Dinellianorum
	29	id que	idque
44	11	mentione, modo	mentione modo;
45	1	demonſtramus	demonſtramus,
46	29	faſtum	factum
	31	arbitror	arbitror;
47	7	Te	re
	23	*aberiationes*	*aberrationes*
49	9	riſu	riſu,
		fletu	fletu,
	27	translata;	quæ translata ſunt.
50	14	*quarelas*	*querelas*
	24	Dinellis	Dinellius
53	26	afferam,	afferam.
54	2	ſchematus	ſchematis
58	9	eſſet	eſſent
	31	concina	Concina
60	21	vetiſſime	veriſſime
64	31	maxime	maximæ
66	6	ſentiant	ſentiant;
68	19	acceſſurum	acceſſurum ex hu-juſmodi Hominis ſplendore, & no-minis celebritate;
	24	analitica	analytica
71	19	Licet	Liceat
74	8	iiſdem	ab iiſdem
81	14	quove	quoque
	16	Maſſejo	Maffejo
	ult.	ſcripſeris.	ſcripſeris;
83	21	iri	*iri*
	22	libelllus	libellus
87	15	*philoſofandi*	*philoſophandi*
90	6	*chriſti Religio*	*Chriſti religio*
	ult.	Jeſnitæ	Jeſuitæ
94	8	*cummaxima*	*cummaxime*
	ult.	*Probabiliſte*	*Probabiliſta*
99	4	*facta*	*fata*

A01 1469517

Digitized by Google

BIBLI
Vitto
XL